
L
4

LVSITANIAE CAPTIVITAS SVB PHILIPPO: LIBERTAS ET FELICITAS SVB IOANNE.

[illegible]

historice, qua oratorio stylo interpuncti.

SCRIBEBAT


Doctor Gasper Pinto Correa Theologus Lusitanus Garaialensis in Barcellonensi Collegiata Canonicus Poenitentiarius.

Manoel Barboza Machado



Cum facultate Superiorum

Olisipone ex officina Pauli Craesbeeck
Anno Domini 16[illegible]



LVSITANIÆ CAPTIVITAS SVB PHILIPPO: LIBERTAS, ET FELICITAS SVB IOANNE.

LIBRI QVINQVE QVA historico, quá oratorio stylo interpuncti.

SCRIBEBAT

Doctor Gaspar Pinto Correa Theologus Lusitanus Garaialensis in Barcellorum Collegiata Canonicus Pænitentiarius.



Cum facultate Superiorum

Vlyssipone, ex officina Pauli Craesbeeck Anno Domini 1643.

AVGVSTISSIMO, FELICISSIMO, INVICtissimo Lusitanorum REGI IOANNI huius nominis quarto salutem, & sempiternam felicitatem precatur Gaspar Pinto Correa.





ATIS calamitosé per sexaginta annos cum Lusitanis actū est, imò in omnem Lusitaniam satis acerbé sæuitum; at nunc incidimus in ætatem vere auream & in sæculum fortunatum. Quam enim miseriarum caliginem Lusitanorum oculis Philippus induxerat, hanc tuæ maiestatis splendor puncto temporis dissipauit. Inopinato casu multoties

opprimuntur regna, at multò maius est ab ipsis cineribus, & cadaueribus insperatum regnum suscitari. Hæc tua felicitas, Rex augustissime, qui diuturna ærumnarum consuetudine obductum callum non solum abstersisti, sed etiam exangui, atque emortuo regno vitam, & sanguinem restituisti. Huc ades inter tot Regum cineres semisepulta regij sanguinis scintilla, quam non extinctam, sed ad Mahometanæ perfidiæ conflagrationem, ad Turcarum incendium, ad Maurorum excidium, ad hæreticorum perniciem, ad totius terrarum orbis lucem, ad Christianæ religionis splendorē seruatam esse agnoscimus. Huc ades, ô Ioannes præstantissimæ Catharinæ nepos, magni Theodosij filius, rediuiua Lusitani sceptri maiestas, iustitiæ restitutor, religionis seruator, veritatis custos, fidei defensor, quem iniuriarum vindicem, tuæ gentis vltorem, Iberorum flagellum, & præsens, & futura

tura ætas mirabitur. Huc ades non vano, sed fatidico multorum hominum spiritu decantatus, quem nobis præsagæ mentes, & summæ felicitatis initium, & aureæ ætatis auctorem prædixerunt. In te senescens, imo iam decrepitum regnum iuuenescit. In te satis infirmum, & debilitatum Lusitaniæ corpus conualescit. In te regiæ stirpis iam fere excisæ truncus reuirescit. A te fortunatior Regum series ortum ducet, quæ per nunquam interruptam nepotum, ac pronepotum posteritatẽ occasũ nesciet. A te noui imperij propagatio, & catholicæ fidei dilatatio extremas orientis, & occidentis solis metas peruadet. A te conuulsis Turcarum lunis sanctissimum crucis vexillum in Solymæ templis efferetur, donec dissipata errorum caligine, omnique extincta superstitione, vnum sit ouile, & vnus pastor. Huc igitur ades, Rex inuictissime, & non minus amandum, quám formidan-

 dum

dum tuæ maiestatis supercilium huc parumper inflecte, meamque in multis tibi perspectam, & exploratam fidem in hoc libro iterum agnosce. Deus te prosperet, tuumque regnum felicitet. Olysipone pridie kalend. Septemb. anno salutis 1643.

Gaspar Pinto Correa.

AD

Volumen hoc a Doctore Gaspare Pinto Correa editum summa cum voluptate , & cum narratione eorum , de quibus agit, tum egregia linguæ latinæ, qua vtitur concinnitate delectatus, perlegi, nihilque in eo Fidei Catholicæ , & bonis moribus aduersum reperi. Quin potius multa, imo omnia, quæ in laudem gentis nostræ a Castellanorum captiuitate in libertatẽ sub inuictissimo Rege nostro Ioanne assertæ eleganter scribit communi exterarum nationum, quæ nostrum idioma ignorant, applausu suscipienda esse non dubito. Vnde opus hoc prælo dignissimum iudico In Conuentu Sancti Dominici Vlyssip. II. die Settembris 1643.

Fr. Ignatius Galuaõ Magyster.

Vista as informaçones pode se imprimir este liuro intitulato Lusitaniæ Captiuitas sub Philippo &c. Autor Gaspar Pinto Correa & depois de impresso tornara ao conselho pera se cocferir como original , & se dar licença pera correr , & sem ella não correra Lisboa 25. Setembro 1643.

Fr. Ioaõ de Vasconcellos. Francisco Cardoso de Torneo. P. da Silua.

Podese imprimir Lisboa 3. de Outubre 1643.

O Bispo de Targa.

Podese imprimir este liuro; visto as licenças do S. Officio, & depois de impresso torne pera se taxar , & sem isto não correra. Lisboa 2. de Otubre de 1643.

Pinhero. Coelho.

Este liuro esta conforme con seu Riginal S. Domingos Lisboa 13. de Nouembro 1643.

M. Fr. Ignatio Galuaõ

Visto estar conforme com o Originol pode correr est liuro Lisboa 3. da Nouembro de 643.

Fr. Ioaõ de Vasconcellos. Francisco Cardozo de Torneo. P. da Silu.

Taxão este liuro em meio tostão. Lisboa 16. de Nouemb. de 642

Meneses. Coelho.

AD LECTOREM.



ON otio,aut deſidia torpe-
bat calamus,dũ feruidioribus
ſtimulis accenſus animus in
publica Luſitanorum lætitia
excitabatur. Non friget meus ſcribendi
ardor:non langueſcit meæ Muſæ feruor:
imo dum in tanto ſcribentium numero
libens conticeſco,ad maiora,& ſolidio-
ra ſtudia accingor . Quamplurimi hac
tempeſtate ea dixerunt cum Laconiſmo
quæ non niſi vberrima latinitatis vena,
& lauta eloquentiæ ſupellectile erant di
cenda.Hi quidem dum breuitati conſu-
lunt,multa ſupprimunt,& nonnunquam
incidunt in obſcuritatis Scyllam. Non
battologiam,non inconcinnam verboſi-
tatem,ſed eam tãtum laudamus eloquẽ-
tiam in Tullij,Salluſtij,Liuij,& aliorum
clariſſimorum virorum fontibus propi-
natam.An Salluſtius,Titus Liuius, Sue-
tonius,Quintus Curtius, Cornelius Ta-
citus,Iuſtinus ſcripſerunt Laconice?Nõ
equidem : ſed per numeroſas periodos,

per

per venuſtum eloquentiæ circuitum, per diſſimiles verborum, & ſententiarum formulas, nunc ad locorum, & temporũ deſcriptiones, nunc ad hominum mores, geſtusque exprimendos, hiſtoriæ filum deduxerunt. Fuit profectò Laconiſmus ignorantiæ aſylum, quo ſe recipiunt homines elingues, quibus ipſa latinitatis inopia impedimento eſt. At quibus adeſt Latij ſermonis Cornucopia (qualis inter Luſitanos fuit Oſorius) hi nō preſſis, ſed ſolutis habenis ſpatiantur: non contractis, ſed explicitis velis nauigant. Horũ veſtigijs modo inſiſtimus, neque riuulos, ſed vberiores Scriptorum fontes inſectamur. Nos enim quà diurna, quà nocturna manu illorum ſcripta ſæpiſſimè euoluimus. Quapropter iniquè, & peracerbè feremus, ſi quis latinæ linguæ non admodum gnarus, critico, & cenſorio ſupercilio ad hunc librum legendum acceſſerit. Quid enim iniquius, & acerbius toleratu eſt, quàm homines qui primoribus tantum labris Tullianam dulcedinem deguſtarunt, quique pulcherri-

mos

mos Salluſtij, & Liuij hortos à primo limine ſalutarunt, ſe aliorum ſcriptorum libris non minus impudentes, quam temerarios exhibere Ariſtarchos. At mittamus hanc aculeatā mordacitatem.

Hunc librum cum autumno damus, in quo non acerba, ſed iam caduca, & decocta ſunt poma. Nihil in illo rèperies acerbitatis, aut amaritudinis, niſi forte quidquid Luſitanis dulce, Iberis acerbū, & amarum videbitur. At noſtrum non eſt, hoſti palpum obtrudere, imo pungentem repungimus, & non blandimentum, ſed cruciamentum damus. Si veró cælū in tanta luminum varietate mirandam oſtendit cælaturam: te, mi Lector, in hoc libro delectàbit varietas, necnon alternantis captiuitatis, & libertatis viciſſitudo. Videbis in hoc libro deficientem Hiſpaniæ lunam, orientem Luſitaniæ ſolem, clariſſimorum virorum intermicantes ſtellas, bellorum obductas nubes, armorum fulgura, fulmina, & tonitrua. Videbis Luſitaniam non ſine dedecore, & ignominia deſpectiſſimam ſub Philippo:

mox eandem sub Ioanne clarissimam, & ipsis syderibus parem . Si vero omnis animaduersio, & castigatio debet vacare contumelia, sic erit à nobis calami spiculo in hostes animaduertendum. vt nihil Regi Philippo contumeliosum proferatur: cuius auctoritatem suspicimus, tremendamque maiestatem omni veneratione prosequimur, Reges enim in terris Dei vices agunt. Quidquid igitur in hoc libro cauillationis fuerit inspersum, id totum ministris imputetu, rquorum deliria cultro digna, saltem calamo sunt plectenda, vt pote qui peccant in publicam vtilitatem. Sed quanuis non versemur in rebus cæcis, atque ab aspectus judicio remotis, versamur tamen in pluribus, quæ videntur esse supra captum humanæ cogitationis, & quæ posteritati vix erunt credibilia, sunt etenim miraculo proxima. Vidit quippe nostra ætas nec sine admiratione vidit ingens prodigium, quod iam per omnes orbis regiones celeberrime acclamatum est, dignum profecto vt in dies magis ac magis

gis

gis qua poetarum carminibus, qua oratorum vocibus, qua annalium monimentis celebretur. Hoc igitur opus triennio elaboratum, & aſſiduis lucubrationibus expolitum non vngui, & denti, ſed lectoris ingenio dāmus. Tu legito, fruitor, & valeto. Olyſſipone quarto Idus Septem, anno ſalutis 1643.

ARGVMENTVM
In Primum Librum

Rex S[illegible]tianus Africano bello ſuperatur. Henricus Regis Emmanuelis filius ſceptro potitur. Poſt huius obitum in diſcordi, & factioſo regno certatur de ſucceſſione. Præcipui fuerunt petitores Philippus, Catharina, & Antonius Infantis Ludouici filius illegitimus. Pro Catharina pugnat ius. Pro Philippo certat violentia, neque iure, ſed ferro occupat Luſitaniam. Pro Antonio ſtat parua ex ignobilibus, atque ex mancipijs collecta manus. Theodoſius in oppido Sanlucar, fraude officioſa per ſummum nefas detinetur.

LVSITANIÆ CAPTIVITAS SVB PHILIPPO; LIBERTAS, ET FELICITAS SVB IOANNE.

LIBER PRIMVS.



ANDEM aliquando, o Lusitani, durissimo seruitutis jugo excusso, nostra respirauit Lusitania. Iam tot, tantisque laboribus distentũ, & diuturna ærumnarum fatigatione afflictum regnum pristinæ paci, & tranquillitati restituitur. Iam nobilissimus ille, atque inuictissimus Lusitanorum spiritus decumanis miseriarum fluctibus prope interclusus suum in dies magis deficientem recepit anhelitum. Iam lethalem, & in Lusitaniæ perniciẽ quotidie renascentem Philipporum hydram com-

pressimus, Castellanorū furorē contudimus, ardētes Hispanæ auaritiæ faces extinximus, nostris ceruicibus imminentem tributorum mucronē auertimus, & penitissimis totius regni medullis insidentem pestem iam tandē euomuimus. Illuxit dies illa felicissima, tot maiorum nostrorum suspirijs expetita; tot fatidicorum hominum vocibus decantata: tot portentis, ac prodigijs manifesta: tot cælo, terra, ac mari monstrosis rerum imaginibus, & oraculis deprehensa. Exultat, & triūphat Lusitania dum se ex cruentis faucibus incruentam, ex lupinis dentibus incolumem, ex medijs flammis illæsam, atque inuiolatam videt euasisse. Digitus Dei est hic *Quis crederet deformem, & pene exanguem regni faciem sexaginta annorum spatio, miserando seruitio oppressam, sine cæde, sine sanguine, sine exercitu, sine dimicatione, sine aperto latrocinio, sine dissēsione ciuili, sine Olyssiponēsis reipublicæ calamitate, sine aliqua ciuium diminutione, aut domesticarum rerum jactura, vnius horæ curriculo ex seruitute in libertatem esse vendicandam? Quis crederet exhaustas, & penitus consumptas Lusitanorum*

vires

vires ad facinus post hominum memoriam maximum esse instaurandas, & instar Phænicis in ipso tumulo, atque ex ipsis cineribus renouandas? Quis crederet Lusitaniam multorum annorum decursu instar auis diuturnis compedibus, & laqueis impeditam, atq; ab omni ope, & humano auxilio destitutam, breuissimo temporis momẽto, posse ex laqueo atque ex vinculis euolare? Quis crederet tã incredibili, atque inopinato rerum euẽtu, satis lugubrem, & luctuosam patriam in risũ & plausum tam subito esse commutandam? Mærori voluptas, infelicitati felicitas, captiuitati libertas, egestati opulentia, inquietudini tranquillitas, luctui risus, aduersitati successit prosperitas. Dies illa ter, & quater fortunata semisepultũ Lusitanorũ robur excitauit: quiq; otio, & ignauia torpebant sub externo Rege, iam Martiũ furorẽ ore, oculis, naribus spirant sub acri, & bellicoso Imperatore, qui non molliter educatus, non voluptatibus effæminatus, non deliciis eneruatus, sed ad æstum, algorẽ, sitim, inediamque tolerandam a natura compositus, non imbelles, & eneruess, sed acres, duros, callosos, strenuos mi-

lites in exercitu reget. Philippus immensos pecuniarum aceruos theatris, scenis, iocis, & gulæ impendebat; Ioannes non priuatis, sed publicis patriæ commodis inuigilans, solam suorum clientium salutem cogitat. Philippus tanquam pastor mercenarius non oues tondere, sed deglubere, imo omni epoto, atque exhausto sãguine euiscerare contendebat; Ioannes tanquam proprius pastor suas inter oues natus, cereoque ingenio, ad misericordiam ita est ab ipso genio propensus, vt iure optimo cereus princeps possit appellari.

Sed iam nostræ captiuitatis initia, atque exorsus altiori indagine perscrutemur, vt inde non difficili coniectura perspiciamus, quo iure, vel qua iniuria Philippus cognomento prudens, vel potius ad inhiandum suis lucris sagacissimus, nostræ Lusitaniæ fines tã iniq; & violenter inuaserit, & fas omne abrumpens, litem non hæreditario iure, sed armis, & militaribus copijs dirimendam tẽtauerit. Quæ omnia vt liquidò constent, nos rerum originem altius repetamus, ac nostræ captiuitatis exordia sigillatim reuocemus.

Illuxit dies illa toti Lusitaniæ exitialis, qua

qua Rex Sebaſtianus male ominatum bellũ in Mauros ſuſcipiens, non ſolum ſuæ ætatis primæuæ, ſed etiam ſui regni florem perdidit. Egregium ſane documentum poſteritas omnis accepit, & alieno capite experti ſumus, audaciam ſine conſilio plus habere inconſultæ temeritatis, quam virilis fortitudinis; imo, & vim conſilij expertem ſua ſemper mole ruituram. Quid non tentat inconſiderata imperandi ambitio? Quid nõ aggreditur temerarij animi leuitas? Quò ſe nõ præcipitat imprudens adoleſcentia? Neſcit belli incomoda cui bellum eſt inexpertum. Qua ratione poſſet exercitum continere, qui ſe ipſum non continebat? Vbi erãt imperatoriæ virtutes? vbi ſcientia militaris? vbi aduentitiæ multorum Regum, & nationum copiæ? vbi equitum, & peditum turmæ? vbi æraria pecunijs referta, qui bello adminiſtrãdo ſolidiores sũt nerui? Quos potuit felices exitus, quos fortunatos euentus ſperare, cui nihil ad ſubſidium preſto erat, imo omnia vaſtitatem, exitium, & ruinam minitabãtur? Propter Maurum cortice, & pluma leuiorem, vanum, incõſtantem, nullius ſidei, exigui mométi, alterius religionis,

quietos populos bello ſolicitare, in pacatis vrbibus ſerere inquietudinem, otij leges, & quietem interrumpere, id profectò nec ſuperis, nec hominibus gratum eſt. Cur etiã tam fœdæ & iniurioſæ irruptioni obſecundaret Deus, qui etiam in bellis inferendis ius, & æquum ſeruari iubet? Qui igitur Sebaſtiani profectionem lacrymis, abſentiam deſiderijs, reditum ſpe proſecuti ſumus, noſtris infortunijs patentem ianuam vidimus, vbi primum cũ ſuo Rege corruit male auſpicatum regnum, & ille animi feruor, qui intra ſui regni limites vix capiebatur, in alienis finibus eſt ſepultus.

Poſt miſerandum Sebaſtiani caſum, ad eas anguſtias regiæ ſtirpis proles redacta erat, vt ex innumeris Regis Emanuelis filijs, ac nepotibus, ſolus ſupereſſet Henricus, quem corporis imbecillitas, & morboſæ ſenectutis infirmitas ſic premebant, vt non ad imperij ſolicitudines, ſed ad priuatum otium, & quietẽ aptus eſſet. Inerat viro innata quædam modeſtia, & ad omnes vitæ actiones genuina moderatio, neque ad aulicam, ſed ad monaſticã diſciplinam ab ipſis incunabulis videbatur inſtitutus. Ancipiti animo fluctuabat, & varijs

cura-

curarum ſtimulis pungebatur, incertus quid ageret, quò ſe verteret, quid conſilij caperet, quem regni ſucceſſorem eligeret. Hinc illum patriæ amor vrgebat, illinc Philippi Regis potentia, & diuitiarum magnitudo ſtimulabant. Nunc ad Sereniſsimam Catharinam Odoardi Infantis filiam propendebat, nunc illum Philippi auctoritas, & formidoloſa dominandi ambitio retardabat. Secum luctabatur nō concors animus, & nunc ad has, nunc ad illas partes diſtractus rapiebatur. Non erat facilis deliberatio, imo res magni momenti ab omnibus putabatur, ex qua communis omniū ciuium pax, & vtilitas dependebat. Magni enim refert ſi Rex non ſit extraneus, ſub quo corrumpūtur ciuium mores, langueſcit virtus militaris, ceſſat mercatorum induſtria, ponit artificum labor, friget bonarū artium exercitatio, viæ latrocinijs infeſtātur, mare prædonibus eſt refertum, & quod peius eſt, pietatis, ac religionis ardor refrigeſcit. At cum Rege domeſtico, & conterraneo creſcit morum probitas caſtigatior; augetur ſtudium militādi robuſtius; mercaturæ negotiatio ſit induſtrior; ſudat opificum manus ingenioſior; optimarum

marum artium splendor enitescit ardentius; non iter latronibus, non mare piratis est infestum; ipsa pietas, ac religio firmius, & stabilius habent propugnaculum; omnium deniq; bonorum, ac fortunarum copia manat affluentior, & cumulatior. Cum enim flagitiorũ turpitudo maximè crescat impunitate, virtus verò præmijs nutriatur, vbi deest Rex domesticus tum flagitijs frænũ, tum virtuti deest incitamentum,

Hic erat omnium curarum, & molestiarũ scopus, quibus Henrici Regis senectus vehementer diuexabatur: hic aculeatus stimulus, qui illum frequentius pungebat. Hæc vna fuit noxa Regis improuidi. In hoc non leuiter culpandus, neque istud in Lusitanos commissum crimen vnquam est ignoscendum. Qui enim excellentissimam habebat Catharinam fratris sui Odoardi filiam, omnibus imperatorijs virtutibus ornatissimã, ad quam hæreditario iure regnum deuoluebatur, quid vlterius in deliberando hærebat? Frustra consilium quærit, qui rem in promptu habet. Si viuus potuit litem decidere, cur mortuus indecisam, imo potius ferro, armis, & ancipiti

popu-

populorum contentione decidendam reliquit? Cur nostram lusitaniã, quæ exteris gentibus ac nationibus amori erat, ac formidini, vnius hominis externi auaritiæ, ambitionique subiecit? Cur per quingentos prope annos non interruptam Lusitanorum Regum lineam tã infeliciter abrupit? Cur opimam, & fertilem regionem quá vbertate agrorum, quâ varietate fructuum, quá omnium rerum multitudine, quá onerarijs exterarum prouinciarum mercibus abundantem, satis graui, atq; ignominioso Castellanorum iugo submisit? Cur in publicis priuatisque periculis expellendis non caste atque integrè versatus est, qui ob solum Regîs nomen patriæ pater, ac defensor debuit appellari? Cur districtum Hispaniæ gladium, imo nostris iam ceruicibus imminentem, dum potuit non auertit? Cur patriam bellicis terroribus, atque incendijs conflagrantem non extinxit? Cur virginum imbecillitatẽ, viduarum, ac pupillorum orbitatem, coniugatorum pacem, & otium non defendit? Cur huic regno impendentem miseriarũ tempestatem non serenauit? Omni imperio indignus est, qui sibi nescit imperare. An ignorabat non inermi

ſed armata manu obtineri ſceptra? An neſciebat omnem regnandi aleā, & regnorum ſalutem in ferro conſiſtere, ſolumq; enſem ſtrictum, & proprios tueri, & alienos fines inuadere? Quorſum pacis emolumenta belli incōmodis permutabat? Si pacificus noſtrū regnum potuit ſtabilire, quare noſtrū ius in bellum vertit, & in litigium. Si Luſitaniæ rebus diffidebat in pace, cur iiſdem fidebat inter arma? Non Regis, non patris, non paſtoris, non defenſoris nomine dignus erat, qui vtrumq; munus tam ignauè obijt.

Cum frigido, & ſene Rege frigebat, & ſeneſcebat regnum. Paulatim cadebant vires cum caduco imperatore: neque enim vigebit regnum, ſi regenti deſit vigor ad res magnas bene gerendas. Cum igitur vires, & valetudinis firmitas regem in dies magis ac magis deficerēt, quæ ſunt certiora fati iam inſtantis prænuntia, nihil prius habuit quam auiti regni ſucceſſorem deligere, & coram prouincialibus procuratoribus regiæ dignitatis hæredem inſtituere. Sed (proh dolor) nihil boni, aut æqui eſt inſtitutum, imo rex omni conſilio, & ratione deſtitutus taciturnitate regnum perdidit:

didit: & qui vnico nutu, vel abnutu potuit rem totam feliciter conficere, suo intempestiuo silentio prodegit infeliciter. Varia, & anceps opinio per animos indoctæ plebis peruaserat circa regni successionem. Ille tamen rumor firmius, & constantius increbruerat, Serenissimam Catharinam ad oppidum Almeirim, vbi tunc Rex cõmorabatur, eo consilio fuisse accersitam, vt communi omnium ordinū consensu, nullisque tum plebis, tum procerum repugnantibus suffragijs, Lusitanorum Regina crearetur. Quis enim auderet repugnare, quis reclamare, quis inficiari, quis non constantissimè persistere, vbi ius, & æquū seruabatur? Quia verò in rebus humanis summa potentia habetur summum ius, iam tunc infaustus serpebat rumor, & in omnium aures influebat, Philippum regni hæreditatem sibi vni arrogare, imo clandestina negotiatione, & ea qua pollebat sagacitate, omnes ad regnandū aditus præoccupare, nunc muneribus, nunc pollicitationibus, nunc blanditijs Lusitanorū animos corrumpendo. Ita sibi nō iure, sed calliditate agendum putabat: neque ad veritatis, sed ad auri, & argenti cotem esse acuen-

da

da tela, quibus in hac conflictione dimicaret, iuxta illud, argēteis pugna telis, atq; omnia vinces. *O tempora calamitosa! o inuersi mores! o inexplebilem regnādi sitim! leges pro contemptu habentur, iura conculcantur, ratio penditur vili, & posthabito meritorum pondere, sola pecunia dominatur. Cum enim in duplici cardine lis tota volueretur, nempe in Philippo, & Catharina, ad illum cuius potentia quamplurimis nationibus tunc erat formidolosa, regni summa deuoluitur. Malum consilium sera sequitur pænitentia: semperq; rerum initijs obstandum, nam in medijs malis serū est cauendi tempus. Tunc o Lusitani proceres debueratis præcauere; tunc ad omnes infelices euentus vigilanter excubare, cum viuente adhuc Henrico res in tuto erat, & Regis dabatur optio. Mersa enim puppe, quid nauclerum, & gubernatorem iuuat suam in nauigando fateri imperitiam? Membris tabe corruptis, quid medicæ artis auxilium, quid salutaria prosunt medicamenta? Vim morbi primò inuadentem oportet iugulari, postquam enim altius conualuerit, frustra petitur artis Apollineæ adiumentum.*

Quid verò tam inauditum, atque inusitatum, quid tam præter sapientissimorum hominum consuetudinem, quam regendi prouinciam extero homini demandare? Quid tam periniquum, & non ferendum, quàm ex alienis finibus Regem extraneum auocare, prætermissa Serenissima Catharina, non solum a Lusitanis Regibus oriunda, sed etiã inter Lusitanos nata, & in lusitano solo per omnes ætatis gradus enutrita? Id profecto Lusitanis vitio est vertendum, quos edacissimus inuidiæ liuor ita corrodit, vt magis laudent extraneos, quam conterraneos, & domesticos. Meum ferio clypeum, dum in meam inuehor nationem: æquis tamen animis o Lusitani meas excipite querimonias. Quid quæso ab extraneo Rege petebatis? Quam in illo reipublicæ bene gerendæ spem constituebatis? An illa Castellanæ gentis inueterata inuidia noui regis consuetudine posset aliquando aboleri? An fides, & amor tam discordes populos conglutinaret? Quanta lupis, & agnis sortito obtigit, tanta ab ipsis Regni incunabulis, per quingentos prope, & quadraginta annos Lusitanorum genti,

& Ca-

& Castellanis discordia est. Quæ igitur nostrarum rerum cura, quod ærumnarum leuamen, quod afflictis, & prope desperatis rebus præsidium, quod in assiduis malis solamen, quod omnium miseriarum subsidium a Castellano Rege posset sperari, qui nos non vt filios, sed vt priuignos amaret? Esset ille amor naturæ legibus præposterus. Quis enim ex niue flammas, vel ex flammis niues, non sine magna naturæ confusione, aliquando sperabit? Quis de spinis vuas, aut de tribulis ficus decerpet? Quis in ter accipitrē, & columbam firmas amicitiæ leges, aut incorrupta pacis fædera obfirmabit? Si pristina reipublicæ dignitas, & libertas aliquādo reuiuisceret, hæc sub alieno Rege opprimeretur. Si maxima annonæ vilitas alicuius regni felicitatem consequeretur, hæc sub Rege alienigena in summam rei frumentariæ inopiam verteretur. Si ex aeris puritate, & salubritate corporibus firmitas, atque incolumitas oriretur, hæc sub Rege alienigena, corrupto cæli tractu, in tabem, & pestilentiam iret. Si pax, & ciuium tranquillitas nullis bellorū tumultibus, aut inquietæ plebis seditionibus fædaretur, hæc

sub

ſub Rege alienigena ferratos Iani poſtes aperiret. Quid plura? ſub Rege domeſtico libertas, ſaturitas, pax, incolumitas, & felicitas floret; at ſub Rege extraneo captiuitas, fames, bella, infelicitas, & varia morborum genera cum ingenti hominum clade inualeſcunt. Veſtrum erat ò Luſitani imminentem patriæ peſtem ſalutaribus medicamẽtis impedire. quis enim conſtantis animi adoleſcens irruentem in ſe feram venabulo non excipiet? Quis aduerſos inimicorum ictus clypeo non auertet? Quis ſæuientis leonis incurſionem non declinabit? Ille eſt prudentior nauclerus, qui impendentem procellam cautus vitat, quam qui præſentem fugit. Cum primum o Luſitani, vidiſtis Regem Henricum nõ iudicata lite obijſſe, tunc ad arma confugere, tunc regni fines cõſtantiſsimê tutari debueratis, priuſquã Hiſpanus leo ſuo vos rugitu perterrefaceret, atq; in tam opimam prædam vngues verteret.

Illa igitur dies quæ Henrico fuit a vita exitus, nobis fuit aditus ad omnes calamitates, & acerbiſsimam captiuitatem. Ille terrenis fæcibus liber, & corporis vinculis abſolutus ad ſuperos auolauit, nos a libertate in

vin-

vincula detrusi nostro damno experti sumus, quid sit discriminis inter pastorem, & mercenarium, & quam detestabilis sit nouercæ amor in priuignos. Post Henrici mortem silet regnum in suointerlunio, sed nō diu stetit interregnum. Cum enim plures adorent orientē Solem quā cadentem, quamplurimi ex Lusitanis, qui se sub Philippo satis munitos, & fortunatos fore existimabant, in eum ōnes suas spes animosque conuertunt, solumque Regem Philippum ad Lusitani imperij culmen euehere contendunt. Horum ope & auxilio parantur copiæ militares, & cum magna hostium manu fit irruptio ex improuiso. Hinc equitatus excursiones, inde pedestrium militum incursiones vastant agros, pecora diripiunt, agriculturam impediunt, pagos, oppida, & ciuitates turbant. Nostri enim quā inopinato metu perculsi, sibi, & suis rebus consulere, alij fugere, alij arma capere, alij in neutram partem inclinare, alij patriæ libertatem defendere, alij fortunæ ludum expectare victoris partes secuturi. Non acer, & bellicosus Rex armatā Lusitaniam superat, sed callidus, & vaferrimus emptor venalem tenet.

Erant

Erant omnia tunc venalia inter Lusitanos, nec defuit emptor opportunus, qui se pro libito faceret versipellem. Vbi enim deerat leonina pellis, assuebat vulpinā, illud vulgo dictitans, dolus an virtus quis in hoste requirat? *Nihil audacter, nihil fortiter, nihil viriliter gestum est. Quod enim facinus fuit memorandum, quietam, & imbellem gentem inuadere? Quæ laurea spontaneos, non inuitos homines, in seruitutem dare? Quæ palma inermē multitudinem armatæ cohorti cedere? Si res hostiliter ageretur, non esset victoria incruenta, nihil enim Lusitanorum audaciæ inausum, atque intentatum est: imo illorum virtus tūc validior, ac potētior apparet, cum durioribus, ac difficilioribus prælijs exercetur. Qui ferro orbem domuère, cur non domarent Castellanos, in quibus maior virium infirmitas, & animi imbecillitas accusatur? Qui Indum, & Gangem tributariū ad seruitutis iugum coegerunt, suæque ditioni tradiderunt, cur probrosum Castellæ iugum subirent? Qui effrænatos Lybiæ, & Numidiæ populos toties aperto prelio, & infestis signis contuderunt, cur ad inertiam, & luxum pessumdatos Hispa-*

nos non contunderent? Quibus numero exiguis, sed bellico ardore, & præliandi fortitudine maximis totus paruit orbis terrarum, cur non pareret Hispaniæ angulus? Quos tot, & tam præclari Reges Orientis quà nauali, quá terrestri prælio fatigati toties timuerũt, cur non timeret vnus Philippus? Non igitur arma, sed fata vicerunt Lusitanos. Fuit illud fortunæ ludibrium, & vicissitudo, quæ regna, & imperia instar pilæ huc illuc rotat, nec diu stare permittit.

Antonius Ludouici Infantis filius illegitimus potentissimo Hispaniarum Regi se opposuit regni petitorem, non tamen potuit obsistere, aut sui voti cõpos euadere. In regno quippe discordi, & factioso nihil constans, nihil firmum est. Vulgus Euripo mutabilior tot fluctibus, quot amoris, odij, & cupiditatis affectibus mouebatur. Non quod reipublicæ vtilius, sed quod priuatæ vtilitati commodius studebant. Suo quisque palato inseruiebat, & regnandi ius pro suo quisque lucro, & commodo metiebatur. Ex mancipijs, & seruitijs, atque ex alijs infimæ plebis hominibus, quorũ magnæ copiæ ad eum concurrebant, non par-

uam

uam manum collegerat Antonius. Sed nullũ præclarum facinus ab illis erat ſperandum, quos degeneres, & obſcuros arguebat timor. Nuſquam ſeruilis exercitus poterit eſſe patriæ liberator. Solis enim verberibus, nedum armis, terrentur, & fugātur ſeruitia. Ita memoriæ proditum eſt Scythis olim contigiſſe, qui cum ſatis difficilem, & laborioſam expeditionem ſuſciperent, & octo annis dulciſſimo vxorum, ac liberorum aſpectu fraudarentur, coniuges longa virorum expectatione ſuſpenſæ, imo iam deſeſſæ, neque vlterius ſperantes illos ex tanto bello cum vita digreſſuros, ijs nubunt ſeruis, qui ad pecorum cuſtodiam relicti erant. Interea annuit Scythis victoria, & cum læti ad patriã redirent, occurrit armata ſeruorum manus, & aperta cõiuratione conſpirant omnes, quo dominos ſuis finibus prohiberent. Ancipiti victoria ſæpiſſime eſt certatum, donec poſt variam belli fortunã admonētur Scythæ mutare genus pugnæ, memores non cum hoſtibus, ſed cum ſeruis eſſe certamen: ac proinde non armis, ſed virgis, & flagellis eſſe agendum. Quo probato conſilio, ad hoſtem cum verberibus accedunt, & quem

 ſer-

ferro non poterant, metu verberum ſuperant. Non aliter Antonij ſeruilis acies ſolo flagellorum metu eſſet debellanda.

Ea tempeſtate popularibus ſeditionibus regnum atrociter agitabatur. Illorum tamen vanitas, & ingenij leuitas grauiter culpāda erat, quibus cōſultius videbatur regnum ſub iniquis pecuniæ pactionibus ad exterum hominem deuoluere, quam in patrio ſolo Regem quærere. Quod conſilium illis haud probabatur, quibus bonum, & æquum diuitijs carius erat, neque animus cupidine cæcus ad proditionis ſcelus rapiebatur. Multos ignauia, & ſocordia corruptos inuaſit timor: credebant enim rerum neceſſariarū penuria bellum diu non trahi poſſe a Luſitanis, maximè aduerſus Philippum, qui rebus ex ſententia paratis compoſitiſque in magnam ſpem victoriæ erat adductus, imo regnum iam ſpe præſumebat. Nam quamuis Antonij exercitus eſſet numeroſus, ex illa militum copia plus timoris, ac ſolicitudinis, quàm auxilij, & ſpei accedebat: omnes enim ferme ignobiles, hoſtem fugere, quàm ſequi aſſuefacti, & prædæ, quàm pugnæ erant auidiores. Si vero gentes, aut

viribus, & multitudine æquales arma inter se conferant, tunc ex fortunæ, & Martis ludo anceps pendebit victoria: at vbi imparibus telis, viribusque concurritur, non bene sperare docet timo .

Primariæ igitu nobilitatis viri partes Philippi constantissimè tenebant, qua timore adducti, qua honorum, & diuitiarum spe allecti. Satius quidem foret pro libertate patriæ fortiter occumbere, quam turpissima dedecoris, & infamiæ nota apud omnem posteritatem inustos, florentissimæ patriæ proditores, & venditores haberi. Fuit verò Philippus tum temporis adeo fortunatus, vt non solum homines in maritimis rebus, pugnisq; naualibus, sed etiam equestri pedestrique certamine exercitatissimos habuerit, qui sub Ducis de Alua signis inoffenso pede totam ferme Lusitaniam peragrarunt. Non armatus, sed togatus vicit. Alij ferro, hasta, iaculis, bellicis tormentis hostes domant, hic blanditijs, & calliditate vincit. In Veneris palæstra non minis, sed blanditijs est agendum: nō terrore, sed amore amor cōciliandus: at in Martis ludo inusitatū certādi genus nō ferro, sed dulci

imperio bellum gerere. Martem in vultu furor, in oculis vindicta, in sermone arrogantia, in incessu vastitas, & superbia comitatur: at Philippus nō seueritate sed comitate armatus, non munitionibus, sed largitionibus fultus, regni prædator, non debellator fuit. Vobis, o Lusitani, vitio, ac dedecori vertendum est, opimam regni prædam hosti incruentam dare. Extrema quippe dementia fuit ab illo capi, quem impune possetis capere, & alba parma recedere inglorios, quam possetis hostili sanguine insignire.

Quamplurimas in Lusitania simultates partim obscuras, partim apertas vidit illa maiorum nostrorum ætas. Quotidianas in foro contentiones excitari: populares seditiones commoueri: turbari omnia: misceri vulgus factiosum: discordantibus studijs accendi hominum voluntates: omnes suis priuatis commodis, neminem publicæ vtilitati inseruire. Maxima procerum pars noui Regis volūtatem venari, & turbato flumine diuitias, honores, ac voluptates expiscari studebat. Paucos vidimus patriæ, & iustitiæ amātissimos, qui non sibi, sed reipublicæ libentissimè inuigila-

gilarent. Hos inter Comes de Vimioso D. Frã-
ciscus de portugal, vir bellicis artibus peril-
lustris, viribus pollens, prælio strenuus, consi-
lio maturus, animo munificus, ingenio solers,
industria vigil, quem non diuitiarum, sed so-
lius boni, atque honesti occupabat cura, cũ Lu-
sitanorum opes maximè attritas videret, &
sub extero Rege pessum ituras crederet, inopi,
atque ærumnis deformato regno manum de-
dit: & Antonium, qui se non Regem, sed re-
gni defensorem nuncupauerat, omni virium
contentione ad Regiam dignitatem euehere
contẽdit. At omnes hi conatus incassum abi-
ere. Cum enim in nauali expeditione constan-
tissimè pro Antonio aduersus Philippum di-
micaret, & iam extremo halitu discessurus
spiritus colluctaretur, suum confessarium his
vocibus dicitur compellasse. En morior patriæ
meæ defensor, & fortissimus propugnator.
Nihil verò dulcius, aut optabilius mihi ũquã
potuit euenire, quàm patriæ altrici exhausto
venarum sanguine cruentã mei corporis vi-
ctimam immolare. Quidquid studio, labore,
cõsilio, ingenio, fide, auctoritate, & cõstantia
valui, id omne ad hanc rem conficiendam

 spon-

*sponte obtuli. Præterea sanctissimum, & im-
mortale numen, cuius nutu, & arbitrio con-
stant vniuersa, quodque omnibus præsidet, &
omnium mentes perspicit, iterum atque ite-
rum contestor, me neque spe, neque præmio
inductum hanc regni defensionem suscepisse.
Sola patriæ salus, & libertas meis sæpe ocu-
lis obuersata hanc mihi iniecit cogitationem,
neque aliquo præcipiti, vel temerario motu,
sed consultò, & cogitatò arma cepi, credens
meum nomen æterna afficiendum turpitudi-
ne, si amantissimæ patriæ proditor, aut deser-
tor essem. Quámplurimi in Lusitania proceres
istud proditionis crimen, vel saltem criminis
suspicionem nunquam satis diluent, aut pur-
gabunt. Neque hanc de Lusitanis meritissimo
conceptam opinionem vlla vnquam ratio la-
befactabit, & penitus extorquebit. Quos illa
ætas vidit Codros pro patria nō timidos mo-
ri? Quos Regulos turpissimis cōditionibus dis-
sentientes? Quos Brutos publicæ libertatis
acerrimos propugnatores? Quos Neruas pa-
terno amore erga populum affectos? Quos
Mutios, vt obsessam patriam liberarent, nec
ferri aciem, nec ignis voracitatem metuen-*

tes? Nullos profecto patriæ amantes, ac studiosos, imo potius multos vidit Coriolanos patriæ infestissimum bellum inferentes. Multos Catilinas patriæ pestem nefariè molientes. Multos Nerones patriam incendio conflagrantem siccis oculis spectantes. Multos Iulianos barbarorum iugo florentissimam regionem subijcientes. Qui vero Philippi maiestatem miseræ, multumque iactatæ Lusitanorum fortunæ portum, ac perfugium futuram esse sperabant, sua capti, & decepti inani spe, in omnia mala præcipitantur, & iniquas captiuitatis vices experiuntur.

Interea temporis dum Antonium, & Philippum regnandi cupiditas detinebat, & vtriusque animus ad eam curam accendebatur, Serenissima Catharina nihilo humanarum rerum solicita, sed omni fastu, & ambitione maior, suo in otio ætatem agebat sceptri adeo immemor, vt neque procerum gratiam quærere, neque plebis beneuolentiam conciliare, neque leuissimis indicijs purpuræ honorem ambire videretur. Admiranda quidem fœminæ

maiestas, quæ pluris faciebat videri imperio dignam, quam inperium indignè quærere. Clara equidem, & magnifica res est imperare, at non omnes qui imperant sunt clariores, illi maxime, qui per latrocinia, per fraudulẽtiam, per malarum artium gradus ad imperia, & honores nituntur. Quis non videt turpiter, ignominiosè, indecorê, imo, & tyrânicè regnantem Abimelech, qui Gedeonis ex concubina filius, occidit septuaginta fratres super lapidem vnum? *Quis nescit cum maxima dedecoris, ac turpitudinis labe regnãtem Athaliam, quæ furens, & impudens fæmina belluinam induens feritatem, & omnis humanitatis oblita, regias manus ita cruentauit, vt omni Ochoziæ Regis semine interempto, ex mortuorũ cadaueribus gradus faceret ad imperium? Non igitur meritum ex imperio, sed potius imperium ex merito metiendum est. Ideoque illarum gentium summa credebatur felicitas, in quibus non poterat esse potentior nisi melior, moribusque, & virtute probatior. Qua enim ratione fieri potest, vt alijs imperet, qui suis cupiditatibus nescit imperare? An corruptos ciuium mores*

com-

componet, effrænatasque libidines refrænabit qui ad vitia effrænis. & præceps ruit? An alios extra iracundiam, auaritiam, turpitudinem, & cæteras animi labes continebit, qui se ipsum non valet continere? An iustitiæ violator, & diuinæ legis transgressor, poterit sine vultus sui rubore, humanarum, ac diuinarũ legum violatores digno supplicio afficere? An poterit aliena vitia corrigere, qui propria admittit? Quale fuerit dominantis arbitrium, talis erit ciuium aspectus: neque enim informis princeps recte formabit rem publicam. Mens quippe regentis publici decoris mater est.

A patre Odoardo cum regijs virtutibus, atque ornamentis, ius regnandi ad filiam Catharinam transmissum erat. Quod vt meridiana luce clarius elucescat, agite nũc, o Iberi mecum descendite in arenam, neque enim cũ cataphractis equitibus nobis erit decertandũ sed cum validissimis argumentorum arietibus ipsius mentis, & rationis arces erũt oppugnandæ. Dicite quæso (non vobis intumescat bilis, neque ad iracundiam excitemini) dicite cur Philippus Lusitaniæ regnum tam

violen-

violenter, tam iniuriosè, tam fraudulenter, inuaserit? An imbellem, & prorsus imbecillum fœminæ sexum habuit despicatum? Erāt quidem imbelles manus, sed non imbelle ius: erat infirmus sexus, sed firmissimum ius Catharinæ. An ignoratis a primo Alphonso Lusitaniæ Rege in comitijs Lamecensibus lege cautum, & sancitum esse, ne vnquam ad sceptri culmen eueheretur illa fœmina, quæ extra Lusitaniæ fines esset maritata? Si ergo Isabella Emmanuelis Regis filia Carolum Imperatorem conjugem habuit, quodnam ab his externis parentibus ad Philippum filium tantum ius potuit deriuari, vt Lusitaniæ sceptrum sibi crederet, imo arrogaret hæreditariū, & Serenissimam Catharinam inter Lusitanos natam, atq; enutritam vir extraneus patrio solo, & regno deturbaret? Iniquum profectò, & non ferendum fuit, nullisque tum naturæ, tum rationis legibus consentaneum, externum Philippum conterraneæ, prorsusque indigenæ Catharinæ præferri. Præterea quis est qui ignoret, ab Alphonso quinto, nec non a Ioanne huius nominis primo Lusitaniæ Regibus constitutum

esse

esse, vt vltimo possessore absq; liberis decedente, imperandi ius ad transuersalem consanguineũ in meliori linea deferretur? Si ergo post Henrici Regis obitum duo supererant consanguinei transuersales, alter Philippus Isabellæ filius, altera Catharina Eduardi filia, quæ nobiliorem, & potiorem lineam obtinebat, (vt pote quæ a viro, Philippus verò a fœmina ortum duxerat) ad illam procul dubio regni summa erat deuoluenda. Tandẽ quis est qui nesciat, quantas vires habeat beneficium repræsentationis, quod tum patriæ legibus, tum consuetudine, tum deniq; ipso iure firmatum est. Constat enim primum, & quintum Alphonsum Lusitaniæ Reges decreuisse, vt defuncti fratris filia patruũ à regnandi iure excluderet. Si ergo Serenissima Catharina patrẽ suũ Eduardum repræsentabat, cur nõ esset præferẽda Philippo ex Isabella sorore nato? Maximè cum ex ipso agnationis iure liquido constet, agnatam in re indiuidua, quale habetur sceptrũ, semper cognato esse præferendam, quamuis æquali sanguinis gradu sint propinqui. Cum igitur Catharina fuerit Hẽrici Regis agnata, Philipus verò cognatus,

illa

illa ad purpuræ honorē erat extollenda. Ergo Philippus non regnum iure obtinuit, ſed vi, fraude, armis, muneribus, pollicitationibus extorſit. Quod non latuit paſtoralem curam, & ſolicitudinem Gregorij XIII. qui Chriſti in terris vicarius, Philippum per literas, & legatos adhortatus eſt, ne armorum præſidio, ſed legum arbitrio Luſitaniam occuparet, neque in re tanti momenti ſibi ſideret, ſed viros vtriuſque iuris doctos conſuleret, quos non adulatio, non ſupplicij timor, non aucupanda Regis gratia, non captandi honoris, aut diuitiarū ſpes, a recta iudicij norma deflecteret, aut in dirimenda tanti ponderis lite tranſuerſos ageret. Verum Philippus nouæ dominationis cupidine excæcatus, tam ſalutari omiſſa, imo cōtempta adhortatione, culpatæ, & corruptæ fidei iudices, conſiliarioſq; elegit, nec ſe legum, ſed legionum ſubſidio ſatis munitum credēs, a toga ad Martem fugit: atque adeo fas omne abrumpens, quod ſibi a iure erat negatum, non quidem armis, ſed armorum metu extorſit. Non inquam, armis, quia ſi vnanimes, & concordes Luſitani ad arma concurreremus, non eſt nobis dextera

bello

bello frigida, ac proinde si victoria non annueret, saltem ancipiti alea belli cursus, & fortuna volueretur, neque Hispani duces incruento vestigio nostram Lusitaniam peragrarent. Pugnauit pro Philippo nō ratio, sed ambitio: non æquitas, sed iniquitas: non inuiolatum, sed violatum ius: nō incorrupti, sed corruptissimi iudices, quibus ille magnam vim auri, & argenti contulerat. Non muros bellicis artibus, & machinis oppugnauit, sed Lusitanorum animos quá numeribus, quá precibus, quá promissionibus, quá literis regia comitate, & benignitate plenis expugnauit. Quod quidem optimum bellandi, & vincendi genus est. Validiores quippe sūt aureæ, & argenteæ, quám amentatæ hastæ. Auro acrius, quám ferro pugnatur: & fortior crumenis, quám lacertis fit dimicatio. Nec sine infamiæ, ac dedecoris nota illi sunt habendi proditores, qui aliqua mercede infatuati patriam auro vendunt, atque eò insaniæ deueniunt, vt pluris fortunam quam fidem, pluris pecuniam faciant quám honorem.

Ergo quid profuit Catharinæ ius hæreditarium cum iure repræsentationis coniunctū,

si res

si res non iure, sed auro. & ferro fuit dirimẽda? Quid profuit ex ipsis legum visceribus deducta hæreditas, si non erat legibus standum, sed collatis signis dimicandum? Silet ius, vbi clamat ferrum. Obmutescit ratio, vbi adest iuris violatio. Conticescit legis peritorum sapientia, vbi vel auri pallore inuitatur, vel minarum acerbitate deterretur. Si enim ventorum impetu æratæ fores suo cardine conuelluntur, ipsæque arbores quanuis altissimis radicibus sint desixæ, vi tempestatis cõcutiuntur, & labefactantur, quid mirum si mortalis homo, & caducus, aut vrgentibus malis, aut instantibus muneribus a sano mentis, & consilij statu deijciatur? Frontem rugis contractam, & vultum iudiciali seueritudine caperatum, auri conspectus explicitum, & exporrectum reddit. Cordis duritiem emollit timor, & quam peruicaciam non inflectit ratio, euincit ferri acies omni iure valentior. Hinc est, vt si iura vociferentur inter arma, nihil prosit clamor, & vociferatio. Omnis illa vocis contentio, & iurisconsultorum proclamatio, tumultuoso armorum strepitu obruetur. Ancipiti ferro imperia decernuntur.

Nam

Nam si magnus Alexander dubios in nodo
Gordiano nexus quæreret, illa nodorum im-
plicamenta tortuosis in se ambagibus redeun-
tia nunquam dissolueret ;. ferro etenim opus
erat ad soluendam, vel potius ad rumpendã
inextricabilem ligaturam. In dubijs quippe,
& malis rebus præceps via sæpe est capienda:
& nonnunquam ferro melius, quàm consilio
agitur. Hinc barbarus olim Scytha districtum
mucronem in altũ efferens, ita fertur excla-
masse. Hic libertatis pater, hic orbis domitor,
hic regnorum arbiter, hic reipublicæ modera-
tor, & conseruator est. Hinc Atila cognomen-
to flagellum Dei (cum pastor quidam suam
buculam claudicantem videret, & per cruo-
ris vestigia vulneris auctorem quærens, Mar
tis ensem, quem incauta bucula calcauerat,
forte reperiret, effossumque ad eundem Ati-
lam deferret) oblatum Mauortis gladium
cum veneratione intuitus, mox totius orbis
imperium sibi insolens, ac temerarius ar-
rogauit. Huic, inquit, mucroni vel
spontaneus, vel inuitus parebit orbis: hu-
ius formidoloso aspectu concussæ gentes no-
stræ erunt ditionis.

Hinc etiam illa anceps quæstio inter Græcos, & Phænices orta est, vtrum regna fortius armis, quàm pecunia expugnarentur? Quod certamen pari vtrimque lance ambiguum ita dirimebant. Græci Deorum suorum simulachra armis cincta, inserto clypeo, nudo gladio, truculento vultu, scintillantibus oculis effingebãt: at Phænices Deos suos non bellatores, sed mercatores cum loculis, & crumenis pingere solebant. Quo hieroglyphico illi regnorum ius in armis, hi verò in pecunijs situm esse testabantur. Neque solum ad obtinẽdum, sed etiam ad conseruandum regnum, plurimum valet armorum vis. Quæ fuit olim Cyri Persarum Regis vox crudelissima, dum districtum efferens acinacem exclamauit: hoc mucrone meis ero clientibus formidandus. *O vocem non regiam, sed tyrannicam? Nullum est infirmius regni propugnaculum quàm seruilis timor. Solus amor ciuium est inexpugnabile Regis munimentum: neque regnantis violentia, sed subditorum beneuolentia regno stabilimentum, & firmitatem parit. Qui enim alicuius principis nimia potentia inducti, vel armis perterrefacti,*

inde-

indecoro seruitutis iugo ceruicem subdunt, tandiu in amore, ac fide continentur, quam diu regentis fortuna est incolumis; at simulac fortuna delapsa est, euolant omnes, & præ nimia seruitutis impatientia iugum excutiũt. Nam si morũ dissimilitudo amoris vinculum dissoluit, quænam inter tyrannum, & clientes poterit esse amoris fides? Quemadmodum maris saporem non imbres, non amnes, non fontes mutant, aut remittunt, imo potius in marinam salsedinem omnis illa aquarum inundatio conuertitur, ita profectò peruersus Regis animus omnes clientes in suum colorem, & saporem trahit, nec tamen illius pertinax, & obstinata mens vel mutatur, vel remittitur. Facilius est clientes Regi, quam Regem clientibus morem gerere.

Dum Philippus vel armis, vel nummis, vel pollicitationibus Lusitaniam corrumpit, furtimque expugnat, Theodosius Serenissimæ Catharinæ filius duodecimum agebat ãnum. Immatura profectò ad regnandum ætas, ius tamen præmaturum, necnon, & ingenium perspicax iam tum singulare sui specimen ediderat. Apud Mauritanum Regem, viuente

adhuc Enrico, detentus fuit, non ſine mærore, ac lacrymis cariſſimæ parentis. Quid enim amantius, quid dulcius, aut indulgentius eſſe poteſt quám maternum nomen? Nec ſola mater abſentem filium aſſiduo fletu, ſuſpirijs, ac deſiderijs proſequebatur, ſed etiam quamplurimi proceres, quos patriæ, & iuſtitiæ amor inflammabat, in ſolum Theodoſium ſuas ſpes, cogitationeſque conuerterant. Quod non leuibus coniecturis ſubodoratus Rex Philippus, ſagaciſſimus rerum coniector, quò omnem bene ſperandi anſam Luſitanis præcideret, ea qua ad regnandum libidine effrænatè incitabatur, nihil prius habuit, quám Theodoſium à Luſitania auertere, vel ſaltem extra Luſitaniæ fines in vrbe Sanlucar detinere, donec labantes conſilio Luſitanos quá muneribus corrumperet, quà auctoritate pelliceret, qua precibus deliniret, qua promiſſionibus caperet, quá belli rumore, ac terrore perterrefaceret. Si enim Luſitani ſuum principem Theodoſium ætate inualidum, viribus infirmum, vnicam regni ſpem præ oculis haberent, & præſentem illius vultum intuerētur, id omnium animos, ac vires ad pugnā

vehementius excitaret. Talis olim Europi infantis præſentia Macedonibus tam ad pugnandum, quám ad vincendum non mediocre fuit incitamentum. Cum enim Macedones bello multoties fracti, & victoria Thracibus annuente pulſi diſcederent, vt pote qui infantem haberent Regem, qui ob teneram, imbellemque ætatem hoſtibus non terrori, ſed deſpectui eßet, hoc ad v. ncendum vſi ſunt ſtratagemate. Regem ſuum nomine Europum in cunis prolatum ante aciem ponunt, mox eo viſo omnium militum virtus, ardorque militaris, tanquam admotis calcaribus, acrius ſtimulatur, atque accenditur: fit durior concertatio: victoria inclinat ad Macedones, qui ſe antea victos ideo fatebantur, quod bellantibus Regis præſentia deeßet. Si igitur Macedones mouit præſentis Europi infantia, nõ minores ad mouendum, atque ad incitãdum vires haberet Theodoſij pueritia. Quæ ſi abſens timorem, & deſperationem iniecerat, præſens amorem, ſpem, & alacritatem conciliaret. Quos enim etiam perditorum hominũ flagitioſos greges nõ emolliret illa ætas puerilis, in qua nõ intermortuæ, ſed adhuc viuæ,

 & ſpi-

& spirãtes regæ dignitatis scintillæ intuẽtiũ mentes accenderent, vires firmarent, animos adderent, voluntates inflammarent. Atque vtinam Lusitani ea tempestate pro obseruãdo, & non violando Theodosij iure gloriosam susciperent dimicationem, in qua aut fortiter vincerent, aut viriliter occumberent. Multo quidem gloriosius, atque honestius esset, si pro incolumi patriæ libertate mortem oppeterent, quam si patriæ captiuæ super essent.

FINIS LIBRI PRIMI,



ARGV-

ARGVMENTVM
In Librum Secundum.

Secundi, tertij, & quarti Philippi dominatio Lusitanis perniciosa. Summa tyrannis: nulla legum obseruantia: improba morum corruptio: immane tributorum pondus: nullus iustitiæ cultus: mira ignauia, & armorum desuetudo. Arcem de Ormuz oppugnant, & expugnant hostes. Nostrum mare peruagātur piratæ. Naues onerarias, Insulas, & loca maritima deprædantur impune. Brasilica prouincia venit in Batauorum ditionem. Collector Pontificius iniuriosè vexatur, & per summum scelus regno expellitur.

LIBER SECVNDVS.

QVamplurimi in Lusitania proceres, diem, quæ Philippo regnum dederat, toti Lusitaniæ infelicem, & inauguratam, illamque non laborum finem, sed maximarum ærumnarum initium fore affirmabant. At in ipsis regnandi initijs felicitatis, vel infelicitatis euentus in incerto erat. Nā subdolum, & perfidiosum Regis ingenium in bello pacem, in odio amorem, in ambitione, & auaritia pietatem simulabat. Atque ita haud facile discerneres, vtrum patris, an hostis nomen gereret. Sic erant omnium animi noui Regis expectatione suspensi, vt neque illius varios mores ad-

huc perſpectos, neque calliditatem ſatis notam haberent. Verendum tamen erat, ne aſtuta hominis ſagacitas omnia ad ſuam vtilitatem ita referret, vt in regno tractando non quod eſſet Luſitanis vtilius, ſed quod ſuis priuatis commodis aptius meditaretur. Luſitanorum opes attritas, atque extenuatas non quidem reſarcire, ſed in dies magis, ac magis infirmare ſtudebat. Nec deerant leuiſſimi homines, qui nunc mendacijs, nunc aſſentationibus Regis aures onerarent, & illius animũ erga Luſitanos corrumperent, frigidique, & maligni noſtrarum rerum laudatores exiguum beneuolentiæ veſtigium verterent in maleuolentiam. Quod malum poſtquam Philippi medullis altè inſedit, incredibile dictu eſt quàm ſiniſtram de Luſitanorum fide opinionem conceperit, quibus proinde neque omnino fidere, neque diffidere audebat, ſed inter ſpem, ac metum dubius, noſtra tanquam ſeruorum opera vtebatur, & dum verbis pacem, factis bellum aſperrimum promittebat, neq; clientes, ſed ſeruos credebat, quos ſub aheneum iugum miſerat. Ex quo omnium malorum ſeminario, tanquam ex fonte de-

fluxit

fluxit illud primi, secūdi, ac tertij Philippi regimē nobis inauspicatū, & prorsus exitiale.

At non satis liquet inter sapientes, fuerit ne auus, an filius, an nepos huic regno perniciosior? Auo prudens calliditas, at in propagādis sui imperij finibus mira erat ambitio, nec non in comparandis, retinendisque diuitijs auaritia: doctus non æquitatis, & sanctitatis normæ, sed vtilitatis legibus inseruire, illud æquius esse ducens, quod sibi erat vtilius. Filio innata, & genuina virtutum indoles, & maximus inerat religionis cultus; at sui immemor, & extra libertatem positus, nō ex suo, sed ex alieno pendebat arbitrio. Mira profectò Regis infelicitas, qui ad omnes alienæ voluntatis flatus circumagitur. Id quidem non regere, sed regi: non imperare, sed parère est. Nepoti neq; mentis sagacitas, neq; morū probitas assidebat, imo potius ab auo atq; a parente multum degenerans, nō vno tātū scelere maculosus, vix ipsis pepercit aris, æq; hominibus, ac superis infensus. Neq; a veritatis scopo multum aberrauit quidā Lusitanus, qui aliquando inter maledicos conuiciatores nō nihil vel salis, vel mordacitatis inspergēs

ſub illa Nabuchodonoſoris celeberrima ſtatua Carolum Imperatorem cum filio , nepote , ac pronepote expreſſum eſſe affirmauit. Nam Carolus fuit caput verè aureum, ſanctitatis, ac fortitudinis luminibus fulgens , cuius fama pace,ac bello ſemper æquabilis, & inuiolata, virtuſque non aliunde proueniens , ſed ſuis nixa radicibus,omni poſterorum commendatione dignũ imperatorem finxit. Huius præclariſſimi viri , ſiue inter armorum ſtrepitus, ſiue inter aulæ delicias,idem fuit vitæ tenor. Par corpori , atque animo conſtantiæ dignitas: illud nullis laboribus fatigari, hic nullis difficultatibus vinci aſſuetus. Ita ſemper vixit,vt inpericulis nullum timoris,in congreſſibus nullum infirmitatis , in victorijs nullũ inſolentiæ , in diuitijs nullum auaritiæ , in honoribus nullum ambitionis , in voluptatibus nullum luxuriæ veſtigium reliquerit. Felix vitæ curſus, ſed felicior á vita diſceſſus,prius enim ex ſceptro,quám ex vita migrauit: atque ita non illi mors a rebus caris ſeparatio, ſed fuit ad cariora migratio . Huic aureo capiti pectus , & brachia ex argento connectuntur, Philippus ſcilicei prudens,cu-

ius

ius imperiosum supercilium præ nimia regnandi ambitione vix toto terrarũ orbe capiebatur: at quantum ab auro distat argentum, tantum ille a paternis moribus degenerauit, magis gloriæ, & dominationis, quàm virtutis appetens. Mox in alio, atq; alio Philippo æs, ferrum, & lutum, quibus inferiores illius statuæ partes conflatæ erāt, non incongruè exprimuntur. Huius ergo statuæ portentosam molem non de cælo tactam, sed exigui lapidis collisione percussam, & contritā vidimus. Qui lapis factus est mons magnus, & impleuit vninersam terram. *O vtinam, quidquid mens augurat, fas esset præsagire, & futuras Lusitaniæ felicitates prædicere. Verum aliò festinat calamus: & prudens futuri temporis exitum caliginosa nocte premit Deus. Quapropter præsagos bene sperantis animi motus nos interim comprimamus.*

Quæ ex secundis rebus nascitur insolentia Babyloniæ Regem perdidit, omnēque illius potentiam cum statua in somnis obiecta deturbauit. Nocentes diu stare, aut nunquam, aut raro vidimus. Idem vltionis flagellum

*in Reges, & in clientes sæuit: & easdem le-
nitatis, ac seueritatis partes æque cum omni-
bus agit Deus. Imo cum Reges in terris, quid-
quid lubet contra fas, & æquũ impune fa-
ciant, plerumque fit, vt Rex improbus fiat
impunitate improbior, & maior illius im-
probitas maiori supplicio digna sit. Verum
summus orbis conditor, & moderator non so-
lum Regibus de vita excedentibus seuerus
adest vindex, nullumque eorum scelus dimit-
tit impunitum, sed etiam iisdem adhuc vi-
uentibus se terribilem exhibet vltorem, &
quanuis clemens sit in supplicio differendo,
est iustus in inferendo. Cum enim Regum de-
licta cadant in publicam perniciem, habentur
grauiora, neque Dei dissimulatione, sed acer-
rima egent vltione.*

*Vt igitur nostrum ius luculentius, & no-
stra iniuria intolerabilior appareat, omnia
Philippi Regis deliria, imo potius ministrorũ
errata in vnum colligamus. Et qualia sub
primam auroram arborum, & herbarum fo-
lia melle roscida inueniuntur, quod gutta-
tim dispersum apes colligunt, & aluearibus
constipatum in fauos, cellasque distendunt,*

non

non aliter nos Matinæ apis more, mod que, per omnes illius vitæ gradus dispersos errores decerpamus, & in fauos cõstipemus, ex quibus dulcissimus libertatis fructus in Lusitanos fluxit, tandemque illud odium, quod inter Lusitanos, & Castellanos inueteratum tacitis discordijs fouebatur, apertè erupit, & quo erat occultius, eo prorupit acerbius. In- feliciter errauit Philippus, vt nos feliciter viueremus, qui ærumnarum assiduitate, ac diuturnitate paulatim consumebamur. Ex illis erroribus, tanquam ex amaris radicibus, nostri regni libertas, & felicitas pullulauit. In magnis quippe laboribus vel sola libertas, vel sola mors honestus exitus iudicatur. Qualis vero in corporibus illa maxime laudanda est incolumitas, quam per omnem vitæ cursum non morbus superat, sed senectus ipsa dissoluit: talis in regnorum imperio illa potior libertas, quæ non ferro, sed iure acquiritur, & quæ non militum cadaueribus, sed iniuriosè afflictorum ciuium vocibus comparatur. Quid igitur mirum est si in tam peruerso rerum statu grauissimis offensionibus prouocati, & lacessiti

Lusi-

Lusitani, omni virium contentione eniterentur ad libertatis assecutionem? Quid nouum, atque inusitatum si iugum excuterent? Si enim voluptatum assiduitas multum fastidij, & satietatis aliquando affert, quid non afferet molestiarum, & calamitatum diuturnitas? Si Philippo fixum, destinatumque in animo erat nostram Lusitaniam perdere, nostri nominis gloriam, & amplitudinem attenuare, & penitus obscurare, omnes regni vires consumere, cur non ad libertatis studiũ prorumperet accensus, & stimulatus dolor? In longo maris, terrarumque circuitu nemo est qui ignoret, quam iniquê, atque acerbè cũ Lusitanis actum sit a Philippo, vel potius a Philippi ministris; neque enim tremendam Regis maiestatem, vel leuissimè offendere animus est. Non Regem, sed regimen culpamus. Imo quidquid delicti est, id totum ministrorum vecordiæ, nequitiæ, imperitiæ, fraudulentiæ vertendum est; qui sæpissimè argenteos, atque illimes regij pectoris fontes improbissimo consiliorum suorum veneno turbant, atque inficiunt. Multum igitur interest ad regnorum conseruationem, vt ij qui clauo assident

sident

ſident conſiliarij, ſint vita, & fide inculpata, qui non ſuis, ſed publicis commodis inſeruiant. Nam ſi in exſtruendis ædibus loca ſalubria, & inſalubria conſiderantur, cur non ad componendum, & cōſtruendum regnum illi homines eligentur, qui ſanis, & incorruptis moribus ſint? An erit literatus, vel gladiator, qui nunquam literarium, vel gladiatorium ludum ingreſſus eſt? An erit rei nauticæ peritiſſimus, qui nunquam in alto nauigauit? Haud aliter non erit opportunus conſiliarius, qui neque conſilio, neque prudentia, neq; experientia pollet. Nam qualis terra vt vberes rei frumentariæ edat prouentus, non ſatis eſt ſi leui vomere ſit ſauciata, ſed profundè aratro debet eſſe inuerſa, talis mens leuiter exculta, nunquam fertilem vel prudentiæ, vel conſilij ſegetem promittit. Dum ergo errores meminimus, hos non Regi, ſed imprudentibus, atque inexpertis miniſtris imputamus.

Sub Rege igitur Philippo videres omnia ſiniſtra, & in peius fluere: ſummam flagitiorum impunitatem graſſari: honores immerētibus dari: iudices muneribus corrumpi: robur luxu, atque inertia perdi: omnes qua de-

licijs

licijs luxuriare. Fuit verò in Lusitania quidam extremæ stultitiæ Comes, qui morti iam vicinus, non quidem fatidico, sed vano, & mendaci afflatus spiritu, quamplurimas sub Rege Philippo felicitates prædixit, affirmans ipsa viarum strata auro, & argento reficienda, ipsamque Cornucopiam omni bonorum affluentia locupletissimam nostræ Lusitaniæ affuturam. Omnes quippe nationes cum mercibus, atque oneribus ad nostros portus vndique commearent, atque ex gleba Peruana vberrimus diuitiarum riuus ad nos conflueret. Verum quàm infelix fuerit ille augur, & quàm sinistra cornix, nostro malo, & experientia didicimus. Nam post multa belli, famis, & pestilentiæ incommoda, quæ nostros fines inuaserunt, quidquid erat in Lusitania pretiosum in Madriti curiam asportabatur, vbi omnia erant venalia, neque illa aulica hirudo nostram cutem erat missura, nisi cruoris plena.

Non solam pecuniam ex publico ærario depromptam exugebat illa insatiabilis Philippi sitis, sed etiam ex priuata vnius cuiusque re quotidianæ pecuniarum emunctiones

nostram

nostram prouinciam depauperabant, alienam locupletabāt. Ad immodicos aulicorum sumptus, & luxuriam inexplebilem neque tota Lusitania erat satis. Nos egestate, & mendicitate depressi ad ærumnas, at illi nostro sudore proni ad delicias. Quidquid rusticanus labor dura, & callosa manu colligebat, id totum ignauo aulicorum otio consumebatur. Passim gemebat afflicta plebs; clamabant publicæ calamitates; iustissimæ audiebantur querimoniæ; impatiens viduarum, & pupillorum fletus tributa tributis addita execrabatur; opifices, quorum labor vix alendæ familiæ insudabat, tributorum exactoribus vexabantur; neque vllus fuit tam abstrusus nummus, quem tributorum architecti non obsfacerent. Non ipsa orborum scrinia, non tēplorum sacraria, non cænobiorum claustra intolerandæ cupiditati obsistere, & sacram auri famem explere valebant.

At quibus extruendis templis, Xenodochijs, mænibus, propugnaculis, vel alijs publicis ædificijs tantum pecuniarū exhaustum? Cui publicæ vtilitati tātū nūmorū fuit impēsum? Quas triremes, quas classes, quos bellicos

apparatus, quas militares copias instruxit hac pecunia? O scelus, o pudor! Ad comœdias, ad tragœdias, ad scænas, ad mimos, ad saltus, ad histriones, ad conuiuia, ad sumptuosas cœnas, ad scurrilitates, ad turpitudines, ad iocos, ad domos voluptarias, ad stagna, ad gallinaria, ad piscium, & ferarũ viuaria, tot auri atque argenti inundationes confluxerunt. O nunquam satis deplorandam temporis calamitatem, & Lusitaniæ captiuitatem! Vtinam hanc constructam, coaceruatamque pecuniam quam ab exhaustis miserorum opibus tributim decerptam aulici suis cupidinibus insumebant, eo animo, & portento videret Rex Philippus, quo in re simili vidit Eduardus Angliæ Rex. Nam cum sæuissimi tributorum exactores ingentem pecuniarum aceruum coram Eduardo Rege adduxissent, vt viso auri, & argenti colore omnem mœroris acerbitatem deponeret, atque illas, quibus frequẽter vexabatur, curarum, & solicitudinum mordacitates abijceret: Rex non sine magno stupore circa ipsum nummorũ aceruum dæmonem ludentem vidit; ac si sesiuis huc illuc saltibus, & gesticulationibus, suam de collecta

pecu-

pecunia lætitiam testaretur. Quo portento veluti perterrefactus Rex, illamque pecuniam abominatus, tanquam funestam, & male ominatam ab oculis auferri, restituique populo iussit.

Ab illis etiam, qui victum ostiatim quærebant, & summam patiebantur mendicitatem vidimus tributum exigi. Quo quid crudelius fingi potest? Quid impudentius, atque intolerabilius cogitari? Nos laboriosam, & ærumnosam vitam duceremus, vt delicatius, atq; voluptuosius in Madriti curia multi viuerẽt Sardanapali? Si Madriti proceres equitarent, si iacularentur, si cursu cum æqualibus certarent, si discum iacerent, si gladiatoria arte exercerentur, si noctes solidas humi cubarent, si nunc æstu, nunc algore corpus indurarent, si inediam, & sitim paterentur, si Martio calore accẽderentur, si ad regni defensionem armis cincti inuigilarent, hæc profectò essent pulcherrima iuuentutis incitamenta, ad quæ nutrienda nostras libentissimè pecunias expenderemus. At verò delicatos, & uoluptatibus affluentes iuuenes nostro sudore alere quis non ægrè, & iniquè feret? Qua dexteri-

tate gladium ſtringet, quo lacerto haſtam intorquebit, qua virium intentione decertabit, quam pro patria dimicationem ſuſcipiet, quos hoſtium impetus ſuſtinebit, qui non ſolum animum, ſed etiam corpus habet voluptatibus eneruatum? Quæ inter delicias langueſcit, & emoritur virtus, a ferro vitam ſumit. Si marcet ſine aduerſario, in aduerſis pullulat, & reuiuiſcit. Hinc fortiſſimus Albuquertius Orientis domitor, & noui orbis indagator, vulgo dictitare ſolebat, voluptates eſſe nouercas virtutis. Cumq; ab Albuquertij moribus, & conſuetudine delicati iuuenes multum abhorrerent, illos hac voce ſæpiſſime increpabat. Ne patiamini, o Luſitani, veſtræ virtutis aciem hebeſcere in delicijs, veſtram audaciam, & alacritatem marceſcere in cupidinibus. Non delicatæ, ſed calloſæ manus militem decēt. Non redoleat paſtillos, ſed puluerem tormentarium. Non in byſſo, & purpura, ſed humi cubet, doctus pariter ſub dio hyemare, & æſtiuare. Qui enim voluptatum illecebris, ac lenocinijs ſe corrumpendos tradunt, nunquam erunt hoſtibus formidoloſi. Ipſe etiam imperator Veſpaſianus militaris diſci-

disciplinæ diligentissimus obseruator, cum semel adolescentulum vnguentis fragrantem videret, illius effæminatam viuendi consuetudinem hac increpatione deterruit: maluissem allium oboluisses. *Et iure optimo sapientissimus Lycurgus affirmauit, voluptatem, & virtutem sic inter se componendas, vt voluptas virtuti seruiat, non imperet. Multum quippe discriminis est inter virtutem, & voluptatem. Nam in virtute, nec satietas datur, nec tædiũ, nec pænitẽtia: at in voluptate delectamẽto satietas, satietati tædiũ, tædio succedit pænitentia. Dignum igitur est, vt ignobilius seruiat nobiliori.*

Si ergo militiam non iners, ignauaque mollities, sed mascula alit durities, quod præclarum, aut inusitatum facinus ederent illi homines, qui sub Philippo tam molliter, & delicatè viuebant? Hercules in cunis angues pressit, & non nisi ferendo, & tolerando, per concatenatos labores didicit orbem domare. Alexander impigros, atq; acres milites, multis laboribus exercitos suas in acies disponebat. Ille etiam veritatis amantissimus

Epaminondas vulgo dictitabat, ab homine molliter educato nihil vnquam viriliter geſtum eſſe. Matthias Coruinus (Hungarorum decus eximium, & præſidium ſingulare) aſperioribus ſemper ſtudijs ſuos milites exercebãt, qui ſub diuo hyemarent, & eſtiuarent, algore, atque æſtu adeo obdurati, tantiſq; militiæ laboribus obfirmati, vt nihil eſſet ita arduum quod non expugnarent: nihil ita difficile, & laborioſum, quod non aggrederentur: nihil ita durum, quod non emollirent. Ac proinde cùm horum militum vultus ſolibus eſsẽt peruſti, vocabatur, Nigrorũ exercitus. Illa nigredine Mauors delectabatur: ad illos vultus vſtulatos, & decoloratos horrebat hoſtis, illorumque hirſuto ſupercilio, & prolixo capillamento terrebatur. Romani denique tandiu viguerunt, quandiu durioribus ſtudijs fatigati, & bello attriti fuerunt. Sed quos non vicit armatus òrbis, vicerunt Capuæ deliciæ. Atque ex hoc deliciarum fonte innumeræ clades deriuatæ florentiſſima orbis terrarum imperia funditus euerterunt. Quod quidem videre eſt in Sardanapalo, cuius flagitioſa ſocordia, moreſque corruptiſ-

ſimi

ſimi ad eam effrænatæ libidinis intemperantiam deuenerunt, vt corpore animoque eff.eminatus inter ſcortorum greges lanam, & purpuram colo neuerit, & penſa inter virgines diſtribuerit. Quam viri impudentiam indignatus Arbaces, facta coniuratione, in aulam irrupit, & indignum imperatorem ſceptro ſpoliauit, atque ita Aßyriorum imperiũ in Sardanapali delicijs extinctum, ac ſepultum eſt. Non aliter Heliogabalus ad imperij culmen aſtu, & calliditate prouectus, cum vitam ageret omni mollitia, & luxuria inertem, ſuæ intemperantiæ meritas pœnas luit a militibus interfectus, eiuſque caduuer per vrbis vicos, & plateas vnco tractum, ac ludibrio habitum in Tyberim eſt abiectum. Non igitur vberes audaciæ, & virtutis prouentus ab ijs hominibus poſſunt ſperari, qui primum adoleſcentiæ robur voluptatibus effæminantes, atque in cæteris vitæ partibus ſemper ſibi ſimiles, in luxu viuunt, in luxu conſeneſcunt, in luxu ſepeliuntur. His defenſoribus non bene ſtaret noſtri regni incolumitas. His humeris qui, inſtar niuis Solis ardore liqueſcentis, voluptatibus, & mollitia fluunt

unt, non benefulciretur nostri imperij magnitudo. Qui enim apis aculeum vix patienter ferunt, quo stomacho cuspidatum armorũ acumẽ sustinebunt? Quos præteruolans musca terret, cur non terrebit leo?

In hoc voluptatum luto Hispana iuuentus immoderatè volutabatur. His delicatioris vitæ studijs exercebatur. Atque ita haud facile dictu est, in quantum Lusitaniæ dedecus, & nostri nominis opprobrium, hostilis furor non solum nos inuaserit, sed, & sæpissimè eluserit. Arcem de Ormuz ditissimum totius Orientis emporium, institoribus, mercatoribus, negotiatoribus frequentissimum, quò omnes ex mari Persico diuitiæ confluebant, postquam per multam annorum seriem Lusitano nomini, imperioque seruierat, hostis inuasit, & diuturna obsidione fatigatam sub suam potestatem redegit. Qua in re maximè culpandus Rex Philippus, cum enim Ormuziæ opes in summo periculo versarentur, & iam extrema vastitas timeretur, nullum desperatis rebus auxilium misit, imo ipsis scopulis surdior Indicas res iam iam ruituras minimè curauit, sui, ac nostri æquè im-

memor. Semel atque iterum clamauit afflicta Lusitanorum manus, & aduersus appropinquantem hostem auxiliares copias a Rege implorauit, quibus militum animus iam demissus ad defensionem erigeretur: Rege tamen obstinatas aures præbente, cum nihil subsidij mitteretur, omnis defendēdi arcem de manibus elapsa occasio nostris militibus spem minuit, hostesque ad pugnandum alacriores, & ad vincendum promptiores fecit. Nunc veró ex prospero certamine facti ferociores, non solum minaciter fremunt, sed nostro nomini arroganter illudunt. Hic fuit rerum Indicarum infelicissimus status sub Philippo, qui tamen olim sub Regibus Lusitanis feliciter auctus, & fortunate fuit conseruatus. Illi enim, tanquam patriæ patres studiosi, subleuandis suorū Lusitanorum periculis summū laborem, ac vigilantiam impertiebant; Indiamque tanquam alteram oculorum pupillam ita amabant, vt nil nisi nefarijs finitimorum Regum consilijs occurrere, armis obsistere, & audaciam debilitare cogitarent. Cumq; infestis signis bellū sæpissimè ab illis gentibus

 esset

eßet illatum, tanta dexteritate a nostris militibus decertatum est, vt ex promiscua barbarorum hominum colluuione prope infinitā conflatam turbam non semel contuderimus, & penitus compreßerimus. Qui tamen militandi, & præliandi seruor deferbuit sub Philippo. Miserandus profectò Rex, qui cum ea quæ apud Indos agerentur, ex nuntijs accepisset, saxo tamen frigidior hærebat, consilijque, & deliberationis inops, suis clientibus neque erat adiumento in periculis, neque solatio in laboribus, neque refugio in calamitatibus. Quod quidem haud mirum videatur, si voluptatum Sirenes, & mollissima incantamenta irretitos Regis sensus habebant, & tam propriæ, quàm alienæ salutis oblitum reddebant.

Quamquam verò principis animus neq; semper rebus serijs sit intendendus, neq; semper iocosis remittendus, nunquam tamen publicarum rerum curæ deesse, imo potius diuino quodam consilio, ac prouidentia ad omnes aduersos ictus debet inuigilare. Hinc vera Regum effigies apud Ægyptios oculata pingebatur. Nec non ille draco Hesperidum custos,

non sopitis, sed vigilantibus semper oculis ad custodiam excubabat. Si enim in principe oculorum acies caligauerit, quis cæcos populos ducet? Si in voluptatibus iaceat desidiosus, quis desides, & iacentes militum animos excitabit? Si rebus suis diffidat, quis clientes in spem, cogitationemq; meliorem inducet? Si ab hostibus circumuentus dormiat in periculis, quis quotidianas capitis insidias euitabit? Principes sũt reipublicæ naues, quas sicut in magnis tempestatibus oportet exonerari, ita virum principem omni vitiorum onere oportet esse liberum. Imo sicut nauium gubernator vigil, atque insomnis clauo assidet, & quanuis plenissimis velis nauiget, nunquam a gubernaculo dimouetur, ita princeps ad regium munus dignè obeundum debet intendere, & quidquid suis clientibus est nocumento, longè, lateque arcere. Hinc ego factum credo, vt Ægyptij Reges aureo sceptro Ibim expreßam gestarent, quæ auis oblongo collo, rigidis, & excelsis cruribus, corneo, procero que rostro, serpentibus maximè infesta, pestem ab Ægipto auertit, illamque vastissimam regionem purgat, dum omnem serpentium vim ita consi-

conficit, atque consumit, vt neque morsu pestilenti noceant viuæ, neque mortuæ odore teterrimo auras corrumpant. Regio quippe officio ille princeps perfectè fungitur, qui se nô sibi, sed suis natum credens, publicis calamitatibus medetur, omnium ciuium damna, atque iniurias propulsat, & non solum inuadentem, sed adhuc imminentem pestem vitat. Neque abs re dixit, qui Reges bifrontes Ianos appellauit, quibus curæ sit præterita noscere, & futura præuidere. Ex præteritis discãt cautè viuere, & ad futura fortiter, ac sapienter tendant. Omnes a tergo, & a fronte declinent ictus: & tam apertè, quam occultè ingruentes hostes callidissimè eludant.

Non solum arcem Ormuziã perdidit Rex improuidus, sed maiora adhuc incõmoda ex illius socordia, atq; ignauia desluxerunt. Illã prætereo non prætereundã vocẽ, quæ in Madriti curia intonuit, vox quidẽ perniciosa, cuius atrocitas, atq; impudentia aures excruciat: vberrimã scilicet Orientis regionem nihil emolumẽti parere Lusitanis, illasq; merces trãsmarinas, quæ ad nos quotidiè asportantur, nõ in regni vtilitatẽ, sed potius in publicam

perni-

perniciem verti, illisque tantum hominibus esse vtiles, qui solo quæstu, & lucro ducti emptionibus, & venditionibus intendunt; atque adeo illas Indiæ prouincias insana prorsus nauigatione non quærendas, sed pro contemptu habendas. Qua voce quid stultius, aut insanius fingi potest? Fuit ille improbissimæ linguæ latratus, imo venenatus morsus, qui Lusitani nominis amplitudinem labefactare contendebat. Si veró non vnum, sed multiplex habetur linguæ venenum, quo nunc inficit turpiter loquendo, nunc infamat mordaciter obtrectando, nunc iugulat mendaciter deferendo, nunc fallit audaciter peierando: ille profecto consiliarius, qui tam execrandã vocem protulit, non vno tantum, sed mille modis Lusitaniæ nocebat: fidẽq; & catholicã religionẽ in illis prouincijs disseminatã extinguebat. Quã Lusitani pluris facimus, quã lucidiores Oriẽtis gẽmas articulis insertas. Esset quidẽ lacrymandũ, si hominum genus primó rude, barbarũ, atq; incultũ, quod a nostris fuerat mansuefactũ, & politioribus artibus excultũ, ad pristinã barbariẽ rediret, & quã deposuerat feritatem, iterũ indueret.

Illam

Illam tamen imprudentiſſimi conſiliarij vocem cum ſibilo, & cachinno explodendam, vidimus illorum auribus, atque animis altè imbibitam, qui res Indicas tam parui faciebant, vt illam ſatis glorioſam expeditionem omnino deſerendam putarent. Hæc Regis incuria Malacam perdidit, quæ clariſſimorum virorum ſanguine parta, & conſeruata poſt diuturnam obſidionem, cum nihil auxilij mitteretur venit in hoſtium poteſtatem.

Nec ſolos Indos tetigit infelicitas, ſed etiam in Braſiliam graſſatum eſt infortunium. Nemo neſcit præpinguem Braſilicæ regionis vbertatem, vbi nullus brumæ rigor, nulla hyemis inclementia, nulla aeris intemperies, ſed perpetuum, & placidiſſimum ſpirat ver, mira elementorum pace, & ſalubritate coniunctum. Nec facilis deliberatio, ſit ne maior cæli ſalubritas, an terræ fertilitas. Illud vnũ pro comperto eſt, nullibi cæli faciem eſſe clementiorem, neque terræ genium benigniorem cui magis abunde tam diuitiarum, quám deliciarum ſuppetat ad mortalium vſus. Hic eſt Braſilicæ prouinciæ ſitus omnium humanarum rerum vſui opportunus. Hunc Bata-

tauo-

tauorum vires, quæ nobis olim non terrori, ſed contemptui erant, ſemel, atquè iterum oppugnant, & expugnant, ſuæq; ditioni, ac ſeruituti tradunt ciuitatem vulgo Bahiam, quæ quamuis ſitu eſſet munitiſſima, nullos tamen habebat bellicos apparatus, ad propulſandos, & repellendos inimicorum impetus. Quis enim ad defenſionem locus relinqueretur miſeræ ciuitati, vbi nec milites ſubſidiarij, neque armorum, & nummorum copia, neque bellica erant inſtrumenta, imo potius omnia ita auxilio, & conſilio deſtituta, vt latiſſimi ad bellum, & ad victoriam aditus hoſti paterent. Ac proinde ex noſtris partim capti, partim interfecti, partim fuſi, partim in fugam verſi, partim in loca ſaltuoſa recepti, partim metu, & laſſitudine exanimati, in ſyluis, atque in dumoſis rupibus ferri aciem effugientes, pauci verò intra muros hoſtium præda facti, Batauorum poteſtati ſe dediderunt. O indomita Batauia probroſis Hiſpaniæ ruinis altior, & glorioſior! En Batavi rerum a ſe geſtarum maximi iactatores, iam ſe Hiſpanorum damnis iactantius, atque inſolentius efferunt. Nos cum maxima rei familia-

ris

ris iactura Brasilicam prouinciam amisimus, sed iterum recuperabimus, si Bataui sanctè, & religiosè ictum pacis fœdus nequè nefariè frangant, neque scelestê violent, aliter enim, & datæ fidei violatores, & mentientes redarguemus. Fateor quidem Batauos ad excogitandum acutissimos, & ad efficiendum esse acerrimos, necnon in naualibus prælijs apprimè exercitatos; verum circa illorum fidem non leuis mihi est iniectus scrupulus. Quid enim prosunt dimidiatæ pacis leges? Quid prodest in vno loco pacem prætendere, in alio bellum gerere intestinum? Lusitani nō personatam, sed nudam colimus fidem. Qui enim simulatam ineunt amicitiam, hi sunt amoris occisores. Si Bataui se amicos profitentur, amicè agant; si hostes, hostiliter viuāt; si fraude, & dolo est certandum, nos vtrinq; dolosos, & fraudulentos exhibeamus. Nam cū vulpe est vulpinandum, & Græco fides Græca adhibenda.

Mitto alia dedecora quibus Lusitanorum auctoritas terra, marique iugulabatur. Vidimus sub Philippo mare ita prædonibus refertum, vt ex omnibus orbis terrarum prouin-

ciijs, & priuato, & publico commeatu prohiberemur, neque vllam rem maritimam satis tutõ obire possemus. Vidimus nostri maris littora, quæ sub Lusitanis olim Regibus pacata, & tranquilla erant, Maurorum, Turcarum, hæreticorum, pyratarum nauigijs infesta, quó miseris piscatoribus, qui hamo, & retibus quotidianum victum quærebant, omnis ad sustentandam vitam aditus claudebatur, & sæpissimè ab illis infestissimis prædatoribus virorum, ac fæminarum corpora inopinatè capiebantur, quibus nunc Mauritana ergastula sunt referta. Nunquam profecto gentē Maurusiam nostræ genti vehemētius insultare, nunquā suis velis insolentius volitare, nunquā liberius in nostra littora inuehi vidimus, quam sub Philippo. Quod quidē testātur plurima loca maritima. quibus nulla dies formidinis, ac periculi erat libera, hostibus maximè solicitis, atq; intentis, ne quod prætermitterent nocendi tēpus, nosq; nunc hostili, nunc prædatorio more insectarentur. Vidimus onerarias ex India naues quá vētorū impetu, quá inimicorū vi modo sūmersas, modo litoribus impactas, modo scopulis illisas idq; ob Re-

gis incuriã, qui non solũ homines rei naualis inexpertos classi præficiebat, sed etiam improuidos, ac temerarios, qui nondum tempestiuum ad nauigandum mare tentabãt; & quanuis homines rei nauticæ peritissimi manifestis indicijs deprehenderẽt, quantum mali classi impenderet, ipsi tamen sua temeritate, imo sua insania præcipites, priuatum errorem damno publico præferebant: & pluris faciebant ex suo cerebro illatum damnũ, quam ex alieno partam salutem. Cum tamen satius sit errare ex alieno consilio, aut ex publicæ rei affectu, quam ex proprio arbitrio, atq; ex priuato commodo veritatis scopũ ferire.

Hæc inter difficili bile feruẽs iecur intumescit, imo totus in Lusitanos excandesco, qui præ inani maiorum suorum iactantia, pluris faciunt generis claritudinem, quam alias prudentiæ, virtutis, sapientiæ, & consilij dotes. Hi profectò non ignauiam, non socordiam, non timiditatem, non morum turpitudinem, sed solam generis ignobilitatem, atque obscuritatem homini obijciendam esse putãt. Credunt enim ex ignobili, atque obscuro viro nihil præclarum edi posse. Credunt

solos

ſolos homines illuſtri loco natos ad præclara reipublicæ munia obeunda eſſe idoneos; ac ſi morum probitas, mentis acumen, conſilij maturitas, prudentiæ pondus, iuſtitiæ integritas ſolam nobilitatem comitentur, cæteri verò homines omnibus naturæ ornamentis deſtituti naſcantur. Vide quæ ſuperbia, quæ ſui ignoratio, quæ intolerabilis arrogantia? Dicite, quæſo, quid proſunt fumoſæ imagines, quid ſtemmata gentilitia, quid in atrijs pendentes ceræ, ſi nihil in moribus clarum, nihil in vita illuſtre geritis? Quid prodeſt auitus proſapiæ ſplendor, ſi vobis prudentiæ, veritatis, fortitudinis, & reliquarum virtutum eſt ieiunitas? An creditis nunquam ex ſtrenuo ignauum, neque ex forti, & bellicoſo patre timidum filium procreari? An creditis nihil abiectè, nihil timidè, nihil ignauè, nihil muliebriter a viro illuſtri fieri poſſe? An creditis virtutem ſemper nobilitatis eſſe comitem indiuiſam? Erratis profectò erratis. videmus enim quamplurimos genere illuſtres viros, qui vitiorum illecebris, & cupiditatũ lenocinijs ita capiuntur, vt nil niſi ientacula, prandia, cænas, comeſſationes, ebrietates, &

 ſcurri-

ſcurrilitatis cogitent: nil niſi diem ſolidum ventri, atq; epulis dare: nil niſi fraude, ac dolo humiliorem plebem decipere: nil niſi mendacia mendacijs contexere: nil niſi in pace garrulitatem, animoſitatēq; prætēdere, at in bello timiditatē exhibere: nil niſi in pace verba ſeſquipedalia proijcere, in bello terga vertere, ſalutemq; non in manibus, ſed in pedibus poſitam exiſtimare. Hæc eſt inanis, futiliſq; nobilitas, & tamen huius farinæ homines ita argumentantur, & hanc ſatis mendoſam, atq; inanem inferunt cōcluſionem. Hic homo eſt illuſtris, ergo dignus qui ſit Epiſcopus; ergo dignus qui claſsibus, & militiæ præficiatur. *O futilem, o ridiculam, o mendacem conſequentiam! Si vanus, ſi ebrioſus, ſi impudicus, ſi illiteratus, ſi litigioſus, ſi iracundus, ſi libidini deditus, quo iure ad Pontificiam dignitatem eſt euehendus? Si imprudens, ſi timidus, ſi improuidus, ſi ignauus, ſi inexpertus, ſi militiæ imperitus, ſi temerarius, qua ratione ad claſſis, vel militiæ præfecturam eſt extollendus? Sit regio ſanguine procreatus, non eo inficias. Sit clara ſtirpe exciſus, non abnuo.*

At

At quid hæc prosunt, si vitam adeo turpiter habet institutam, vt non vnum solum erratum, sed multiplex in eo vitium reperiatur? Generis obscuritas fit clarior, si adsit castigata morum temperies; at generis claritas fit obscurior, nisi adsit morum probitas. Illa tandem hominum natio laudatione digna est, in qua non haustum a maioribus generis decus, sed sola facta illustria, & gloriosa hominem faciunt illustrem.

Hoc fuit per hosce annos in Lusitania multorum malorum seminarium. Hoc ex fonte clades, cædesque deriuatæ totum regnum miseranda contagione corrupe-runt. Cum enim non hominum, sed meritorum conditio inspici, atque expendi deberet, tam domi, quám militiæ clarissimos viros sæpissimè vidimus indonatos; illos veró qui nihil præclarum, atque illustre in republica gesserunt, ob solum inane nobilitatis nomen, maximis præmijs, & muneribus affectos. Quo quid acerbius, aut calamitosius fingi potest? Quæ ad optimos hominum mores inuertendos via compendiosior?

Iam verò imberbes adoleſcentulos rei militaris imperitos, imo omnibus publicis muneribus obeundis prorſus inhabiles, quis non mirabitur, vel claſſi præpoſitos, vel alijs publicis miniſterijs eſſe præfectos, non ob aliud niſi ob hæreditariam a maioribus nobilitatem? Quibus iniurijs iactata, & agitata æquitas, omniſque iuſtitia a Luſitanis magis, ac magis exulabat. Cum tamen hæc ſemper vigil, & oculata ad regni cuſtodiam, & propugnaculũ debeat adeſſe, trutinam æqua lance libratam manu geſtans, quod eſt viuum iuſtitiæ hieroglyplicum. Cuius rei iconicum ſimulachrum fuit inter Romanos, qui iuſtum, & moderatum principem ita effingebant, vt altera manu aurum, & flagellum, altera trutinam teneret hac inſcriptione: Rex Iuppiter omnibus idem. *Hoc eſt, in clientibus non generis claritas, aut obſcuritas pendenda, ſed ſola probitatis, aut improbitatis ratio eſt habenda. Omnes homines ab eodem limo, & ab eodem figulo in corpore mortali animum gerimus immortalem, & rationis capacem, nec non pulcherrimam ſenſuum, ac potentiarum ſupellectilem; atque adeo non ſplendor natalium*

lium, sed virtutum decor, & nobiliores, & digniores faciat. Præterea in auro, & flagello præmium innuitur, & supplicium: a Rege enim maximè est prouidendum, ne quid incommodi suis clientibus eueniat, atque ita flagitiosorum improbitatem flagello coerceat, probos veró, & bene moratos viros auro ad honestatem alliciat. Flagello vtatur ad terrorem, auro inuitet ad amorem. Si in tranquilla, & pacata ciuitate turbulentos, vel criminosos agnouerit, in hos flagello, aut si opus fuerit, ferro animaduertat. Si veró aliquos fortitudine præstantes, virtute excellentes, animi moderatione egregios intellexerit, hos auro locupletet. Non aliter Æolus ventorum arbiter, ac moderator, quó luctantium inquietudinem, proteruiamq; comprimeret, habenis vtebatur, quas nunc premeret, nunc laxas immitteret, pro vt dissoluta illorum rabies exigebat. Ita profectō ad moderandam ciuitatem, atque ad coercēdos ciues moribus, legibusque solutos, habenis vtatur Rex, quas prudenter, ac fortiter moderetur. Nam quemadmodum apud sapientem, & prouidum patrem familias rei familiaris ratio tam sapienter

enter habenda est, vt neque cum prodigalitate dillabatur, neque cum aliqua illiberalitatis, aut auaritæ suspicione retineatur; ita bonus princeps intra præscriptos iustitiæ, clementiæ, & seueritatis fines ita incedat, vt medio semper insistat. Quæ tandem, & Regis, & regni est optima habitudo.

Sub his Regibus nulla gens, aut orbis natio pertimescenda est. Sub his in summa pacis, & otij tranquillitate viuent ciues. Sub his erit in iudicijs æquitas, in supplicijs æqualitas, in muneribus liberalitas, sontibus vincula, insontibus præmia decernentur. Verum his omnibus ornamentis nuda fuit per hosce annos Lusitania sub Philippo. Vidimus enim pro æquitate regnare iniquitatem, pro temperantia libidinem, pro liberalitate auaritiam, pro veritate mendacium, pro fide periurium. Vidimus nullam sacrosanctis Ecclesijs concedi immunitatem; nullam rebus sacris seruari auctoritatem; nullam cum viduis, & cum pupillis exerceri fidem; nullum benemeritis dari præmium; nullum criminosis adiungi supplicium. O tempora calamitosa! o patriæ inuersos mores!

Hanc

Hanc veró tam iniquam, & ſiniſtram mali regiminis rationem non quidem in Regem Philippum, ſed in Regis miniſtros detorquemus: & ſane eßem infantiſſimus, ſi ſubditorum culpas Regi imputarem. Nam quanuis hæc ſuſpicio imperitorum hominum ſermonibus conualeſcat, qui omnia publica errata credunt eſſe Regum deliria, ab ingenijs tamen, & linguis prudentiorũ repudiabitur. Videmus enim quám ſæpiſſimè in regnante æquitatem, in ſubditis veró iniquitatem. Videmus Regem honeſta imperantem, at populum inhoneſta, atq; indecora molientẽ. Præterea quis crederet Regẽ catholicum in tot malefactis, in tot maximis ſceleribus, in tot ſeditioſorum hominum flagitijs conniuere, cũ potius omnium delictorum inquiſitor, ac punitor deberet eſſe acerrimus. Quis crederet fures, adulteros, ſacrilegos, homicidas, & alios tam diuinæ, quám humanæ legis trãſgreßores per Regis diſſimulationem, nullas ſui delicti pœnas recepturos, imò libere, atq; impunè vagaturos? Longũ eſſet ſingula minutatim recẽſere, ſit ſatis sũmatim exponere, neq; enim cõiectura, ſed oculis, ac manibus tenentur omnia.

Neminem igitur latet, quamplurimos fuisse viros sacrilegos, qui vt Philippo imperanti morem gererent, Pontificiæ auctoritati, maiestatique obsistere, sacrosanctas Romanæ Ecclesiæ leges violare, scelestis manibus sacros Dei ministros contingere, Nuntios Apostolicos grauissimis contumelijs afficere ausi sunt, & tamen illorum scelus summa impunitate est prætermissum: cum illi homines digni essent, qui ictu fulminis deflagrarent. Si enim Regis Ieroboami manus aruit, quam sacrilegè, atque audacter ad Dei ministrum percutiendum extenderat, non dissimili, imo grauiori supplicio erat mulctanda illorum hominum detestabilis audacia, qui Summi Pontificis vicarios, vel leuissimè offendunt, ipso Deo attestante, Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. *Quid verò in humano corpore pupillis delicatius, quid subtilius, quid pretiosius, quas natura palpebrarum, & ciliorum muro obuallauit, membranisque tenuissimis circumuestiuit, vt vndique illæsæ seruarentur? Quid inter homines maioris dignitatis, & præstantiæ fingi, aut cogitari potest, quàm sacro oleo inungi, aris ministra-*

re

re, Deum manibus attrectare, ipsi Deo quodã modo imperare, qui ad prolatam consecrationis vocem ita homini paret, vt panis, & vini substantia in verum Christi corpus, & sanguinem conuertatur? nulla igitur maior improbitas, nullum est audacius flagitium, quàm lædere has diuinorum oculorum pupillas.

Mihi verò non difficile dictu est, vtrum impudentiores, an sceleratiores fuerint Regis ministri, qui posthabita dignitate Episcopali, contemptis decretis Pontificijs, proculcato diuino iure, tam seuere, imo tam iniquè, & iniuriosè conspirarunt in Collectorem. Fateor sceleris immanitatem, sed non diffiteor impudentiæ magnitudinem. At, inquiunt, hoc delictum Regis proprium est, neque ad ministros est detorquendum. Non ita quidem. Quanuis enim peccatum in Regibus sit maius, & magis perniciosum (cum Reges multos habeant sui imitatores) at non ideo ministri a culpa sunt immunes, qui contra fas, & æquũ Regi parent: cum tamen iniqua imperanti non sit parendum. Quod quidem experimento didicimus in Rege Saule, qui vel furore accensus

census, vel dolore stimulatus suis olim satellitibus imperauit, vt quanta maximè celeritate possent, Dei ministros, & sacerdotes interficerent. Ad Regis vocem hærent satellites, & stupent vultu tremebundo, tam immanè, atque atrox imperium detrectantes: neque audēt manus scelerare, imo leuissimum sacerdotis tactum reformidant. Noluerunt serui Regis extendere manus suas in sacerdotes Domini, *inquit sacer textus. Magnum credebant piaculum, scelusque inauditum, si sacerdotalem dignitatem etiam leuiter offenderent, manus que suas tanto flagitio contaminarent. Qua igitur ratione potuit Rex catholicus imperare, vt cum Dei ministro irreuerenter ageretur, probrisque, & maledictis vexaretur? Quo iure eundem potuit custodia detinere? Apud quos non male audiret Rex catholicus, qui omni contentione contra verum nitebatur, & asperius, ac liberius quám par erat, hominem Episcopum, & terrore, & minis insectabatur. Fuit illa laicorum in clericos audax, & immoderata licentia, quam superi non prætermitterent impunitam. Quæ etiam gens est tam fera,*

tam

tam immansueta, & tam immanitatis plena, quæ suos sacerdotes, quanuis vanæ superstitionis, & idolorum cultores, non magni faciat, summoque honore, & veneratione prosequatur? In sacerdotibus aliquid humano maius, atque augustius est suspiciendum, qui propius accedunt ad diuina. Ipse etiam Magnus Alexander a cuius audacia nihil vnquam inausum, nihil illacessitum, atque intentatum est, cum semel præ iracundia, & bellico ardore impatiens ad deuastandam Iudæam procederet, iamque vrbibus, oppidis, atque agris extrema vastitas timeretur, vbi primum summum sacerdotem Iaddum sibi occurrentem vidit, Pontificia auctoritate tanquam Dei numine perculsus, gradum cohibuit, furorem compressit, minas posuit, ferrum cóndidit, suæque feritatis, & ferocitatis oblitus, ac si prorsus imbellis, & inermis esset, ad summi sacerdotis pedes prouolutus, non iam minis agendum, sed precibus contendendum esse iudicauit. Ita profectó sacerdotalis dignitas imperatoriæ maiestati, terrori, ac venerationi esse debet.

Solæ

Solæ barbaræ nationes, quæ neque moribus, neque legibus, neque cuiusquam imperio reguntur, hanc in sacerdotibus dignitatem non agnoscunt.

Illud pro comperto habetur, atque ex annalium vetustate eruitur, commissum scilicet in sacerdotes irreuerentiæ scelus nunquam a Deo impunitum omitti, imo semper in homines noxios acerrimè fuisse vindicatum. Qua in re testes inuenio locupletes Strodi incolas in Angliæ regno, qui vt Diuum Thomam Cantuariensem aliqua afficerent iniuria, non sine magna irrisione, equi quo tum vehebatur caudam amputauerunt, credentes multum ignominiæ ex illo facto Thomæ inferri. Sed ne diuinæ vltionis in impios excãdescentis furor tantum scelus inultum sineret, non multi temporis interiectu factum est, vt omnes illius loci incolæ caudati nascerentur, ex quo ortum habuit illa paræmia, fugite Angium caudatum. *Non minorem diuini supplicij grauitatem expertus est Valentinianus Imperator, qui regiæ celsitudinis fastigio insolentior, & inani purpuræ splendore plus nimio inflatus, ac tumens, cum*

Marti-

Martinum Episcopum ad se venientem videret, illique non reuerenter assurgeret, subitò ex gestatoria sella ignis erupit, qui ipsum coegit Imperatorem non solum surgere, sed adstare, imo, & procumbere ad pedes Pontificis. Credo ipsum Deum tantæ irreuerentiæ vltrices flammas accendisse, vt suo damno cognitum, & compertum haberet Imperator, Pontificiam dignitatē regiæ maiestati multum anteire. Quantum igitur quá lucis pulchritudine, quá orbis magnitudine, quá situs altitudine, quá agendi efficacitate Sol Lunæ præstat, tantum Pontificia maiestas Regiam maiestatem antecedit. Ad illius dignitatem nullius dignitatis collatio. Ad illius ornamentum nullius ornamenti comparatio. Quos igitur prosperos suarum rerum euentus Rex Philippus potuit sperare, qui Pontificiam Collectoris dignitatem iniuriosè affici passus est? Nil mirum si omnia in peius ruerent, vbi nullus religioni dabatur cultus.

FINIS LIBRI SECVNDI.

ARGV-

ARGVMENTVM In Librum Tertium.

Philippus nostram Lusita niam redigere tentat in prouinciam tributariam. Ciuitas Eborensis pro libertatis defensione concitatur. Lusitanorum proceres ad Madriti curiam auocantur. Margarita Mantuæ princeps regno assidet gubernatrix. IOANNES Brigantiæ Dux iubetur cum Margarita belli curas partiri, & in oppido Montemor per aliquot menses commorari. Ad oppidũ Almada Regis imperio proficiscitur, & ad Margaritæ colloquiũ Olyssiponem venit. Ad Cataluñiam vocantur Lusitani. In Brigantinos Duces, & in serenissimum Odoardum Hispanæ gentis odium inueteratum.

LIBER TERTIVS,



EGNI vires non solum imminuere, sed etiam Lusitanorum dignitatem, auctoritatemque labesactare maximè contendebãt Regis ministri. Iam rumor per omnium ora, & aures desseminatus percrebruerat, nihil regijs ministris maiori curæ esse, quàm nostri regni immunitates violare; Lusitanorum Regum leges, & sanctiones contẽnere; omnia nostra iura proculcare; nec iam instar regni, sed instar prouinciæ nostram rempublicam esse gubernandam. Quis verò non iniquê, & peracerbè ferret, per quingen-

tos prope annos non interruptam, atque inter turbatam nostrarum legum rationem, nobis inuitis, & repugnantibus perturbari? Quis non doleret in publicis muneribus obeundis, in ciuitatibus administrandis, in beneficijs distribuendis, nullo discrimine agi Iberum, & Lusitanum, imo sæpissimè exteros homines domesticis anteponi? Nos tempestiuam culturam, & sementem terræ daremus, illi ex nostro labore fructus meterent? Nos ad pinguia pascua oues duceremus, illis, & mulgere, & tondere esset labor? Nos ancipitem, & laboriosam Martis aleam iniremus, illi in otio, ac desidia ante oculos nostros laureati incederent? Nos armis cincti, cursu, & lassitudine exanimati nostros fines ab hostium incursionibus tueremur, illi inertia languentes regimini assisterent, ac præsiderent? Nos qua diurna, quá nocturna manu in assiduam librorum lectionem incumberemus, illi pinguiores Ecclesiarum redditus perciperent? Nos pugnaces, & lacertosi milites in acie caderemus, & exhausto venarum sanguine, instar mutæ pecudis, immolaremur, illi inermes, imo eneruati

duces puluinis delicatiori pluma refertis molliter cubarent? Non ita ab ineunte ætate educati, atque instituti sumus, vt hæc dedecora, has ignominias, hæc opprobria pateremur. Clarissimum Lusitanorum nomen, quod longè, lateque diffusum vagatur apud exteras nationes, non erat sub prouinciæ nomine obscurandum. Nullus esset inter nos tam profligatus, nullus tam perditus, nullus rerũ suarum desperatione tam plenus, qui nefarijs inimicorum votis non obsisteret. Libentius profecto pateremur vastari agros, vexari oppida, erui ciuitates, ardere tecta, diripi fortunas, totum regnum miserrimo incendio conflagrare, quam sub illo excogitato prouinciæ nomine Philippi iugo seruire. Si enim vno ictu omnes conciderernus, non esset mors ingloria, neque aliquid haberet turpitudinis: at in seruitute turpiter, & inhoneste viuere id sane est sæpissimè mori: toties quippe moreremur, quoties nos turpissima seruitutis nota inustos cogitaremus. Nam si in exiguo vitæ curriculo labor labori innectitur, pericula periculis contexuntur, ipsaque ærumnarum series ita est concatenata, vt vnius mali finis sit

alteri-

alterius initium, consultius quidem est omnem calamitatum cohortem vnius mortis ictu iugulare, quám nouis miseriarum generibus quotidie esse obnoxios.

Hinc ille est Troianarum mulierum erga filios suos inclemens amor, quæ cum á Græcis captæ ducerentur, seruitutis iugum asperius, atque inhumanius, quám par erat, indignatæ, infantes ab vberibus, atque ex carissimo complexu auulsos in Scamandrum fluuium præcipitabant, hac voce materni amoris indice: vos certè non seruietis. *Præstat enim neque vnius horæ vsuram ad viuendum habere, quám miserandæ seruituti superesse. His aquis primæ infantiæ spiritus intercluditur, ne adulta iam ætate seruitutis incommoda patiatur. Qui in hac ætate obeunt, & mortis sensu carent, & vitæ experimento: at ijs qui in seruitute viuunt, & vitæ voluptas, & voluptatis sensus adimitur. Illud præterea de Caldo Cælio memoratu dignum in Romanorum gestis refertur, qui cũ in Germania captiuus teneretur, catenarum seriem, quibus deuinctus, & constrictus erat tam fortiter capiti illisit, vt protinus inter*

 cerebri

cerebri, ſanguiniſque profluuium, animam efflauerit: optimum factu ratus, ſi omnes captiuitatis ærumnas mors vna præcideret: & ſatius credens ſemel mori, quam inter vincula ſæpius mærore contabeſcere. Omnes ſiue ex edacitate, ſiue ex turpiori intēperantia contractos morbos, non vnum tantum, ſed multiplex leuat medicamentum; at ſeruituti vel ſola mors, vel ſola libertas mederi poteſt. Da libertatem, dabis optimum miſeriarum condimentum. Adime libertatem, adimes quidquid in vita eſt iucundum.

Hanc acerbiſſimam ſeruitutis conditionē per ſexaginta annos inique tulimus, & non ligneo, ſed æneo iugo attritum collũ vincula iam recuſabat, quibus impatiens ceruix abſolui cupiebat. Cuius rei non leuia indicia experti ſumus anno 1637. quo ciuitas Eborenſis viris, opibus, & agrorum vbertate florentiſſima, cum ſe tributorum magnitudine oppreſſam videret, tumultuoſis tum plebis, tum nobilium concitatis ſeditionibus, ad libertatis aſylum confugere, Philippo Rege ſe eximere, nouarum legum rationi ſe ſubdere

dere studebat. Hoc equidem erit immortale Eborensis ciuitatis elogium: hæc erit summa illius erga Lusitanos Reges amoris testificatio. Fuit enim prima, quæ prope intermortuam regij sanguinis amplitudinem renouare, Lusitani imperij deficientem lineam redintegrare, nec non repentina popularium voluntatum inclinatione Castellanorum iugum excutere studuit. Illud pertinax, & obstinatum libertatis studium, illam magno in populo coortam seditionem nulla diserti senis placauit compta, & minitis oratio. Nullis procerum adhortationibus deferbuit ille popularis feruor. Non ipsos homines opibus, gratia, & auctoritate florentes audiuit concitatæ plebis seditio. In foro, in compitis, in plateis hæc vna audiebatur vox, libertas, libertas, libertas. *Omnes mortem millies oppetere, quàm illa tributorum onera pati mallent. Ipsæ etiam fœminæ, quas natura imbelles, atque inermes finxit, minaci, & arroganti supercilio magis metuendæ, quàm metuentes, ad arma conclamare:*

 pueri

pueri adhuc balbutientes, & elementarij per ipsos angiportus incondite vociferari: senes capulares, & depontani, pro senio iuuentam induentes, non armorum incommoda, sed inhonestæ seruitutis otium execrari: inter cænobiorum claustra monachi rei militaris inexperti Martium calorem spirare: omnis denique ciuitatis facies insolito furore insanire. Philippus hanc vrbem tanquam rebellatricem funditus delere parauerat, sed humanarum rerum moderatrix diuina prouidentia aliter rem destinauerat. Quo enim tẽpore ingens pauor, ac trepidatio vrbem peruaserat, serenissimi IOANNIS Brigantiæ Ducis auctoritas fuit interposita, qui non solum obstinatam, & pertinacem Eborensium audaciam ab incepto fecit desistere, sed etiam Regem Philippum placatiorem reddidit: Neq; mirum videatur, si omnium Lusitanorum voluntates a Philippo alienæ, Ioannis consilio, atq; auctoritati obtemperauerint, quem præsagæ plurimorum mentes futurum Regem diuinabant: atque adeo consultius erat adorare orientem Solem, quám cadentem. Præterea clausis animorum fornacibus iræ

ardor

ardor in Eborensibus æstuabat, & præ tributorum impatientia defatigatæ ceruices Hispanum iugum detrectabant: sed ille feruor erat comprimendus, vel saltem paulisper reprimendus, donec prudentiorem occasionem tempus daret. Quam quidem annis labentibus oblatam non abire permisimus, ne postea discedentem, ac fugientem frustra imploraremus.

Non satis erat intra Lusitaniæ fines malũ, & noxiam seruire seruitutem, sed vlterius progrediebatur infortunium. Qui verò omnes seditionum vias clientibus debuit intercludere, hoc imprudenter facto apertius patefecit. Regni enim libertas, & incolumitas non tam suppliciorum acerbitate defenditur, quam legum suauitate, & lenitate munitur: nec minus perdit qui dura imperat, quam qui mitia, & factu facilia nescit imperare. Rex igitur Philippus (vel prudenter, & nimis cautè præuidens quæ imminebant, vel imprudenter dissimulans quæ iam odorabatur) quamplurimos ex Lusitania viros clarissimos, Duces, Marchiones, Comites, Episcopos, Dynastas, ad Madriti curiam accersiri iubet, vt

illos quá imperio, quá largitione, quà spe largitionis deuinctos ad regni perniciem vnanimes, & conformes accenderet, atque ita maiorum nostrorum leges, mores, consuetudinemque inuerteret, & omnē regni formam deformaret, faceretque prouinciam tributariam. Neque nouum, aut inusitatum esset animos auaritia, & ambitione ægros, quales erant ex Lusitanis quamplurimi, vel muneribus, vel pollicitationibus corrumpere, vt sui regni essent proditores, suæ patriæ exitiales, suis legibus, ac moribus perniciosi. Durissimo regis imperio parent multi, quorum aut animus, aut ratio, aut potentia imbecillior: aut fortasse vt Regis voluntatem, & amorem hoc obsequio venarentur. Qui enim in solo honorum, ac diuitiarum aucupio detinentur, quique pecuniam fide, & patria habent cariorem, nihil curant sit ne turpe, aut honestum quod imperatur: neque ad publicæ, sed ad priuatæ vtilitatis scopum suæ industriæ, & cogitationis aciem intendunt. Alij verò quorum fides erga patriam maior erat, cum aliquid sinistrum de hoc Regis imperio suspicarentur,

primò

primiò hærere ambigui, profectionem differre perplexi, moras interponere, pars ætatem, pars infirmam valetudinem, pars inopiam in excusationem adducere, pars resistere, & palam contraire, arbitrantes Regem Philippum posse ab incepto desistere. Principis enim ira quamuis vehementes habeat repentinos motus, spatio interposito frigescit, & sæpissimè plus dissimulando, quam obsistendo perficitur.

Difficilimũ quidem est arcanos Regum sensus introspicere: at ex vno ad alium animi motum facere coniecturam non ita arduum est. Nam quemadmodum ex cælestium sphærarum motu æquabili, nec non ex immutabili elementorum constantia ratis semper ordinibus procedente, aliquem intelligimus in illa cælesti domo non solum habitatorem, sed etiam tanti operis rectorem, & architectum: ita ex frequentibus literarum, & legatorum missionibus, ex iterato consiliorum ordine, ex varia rerum dispositione, ex concitatis bellorum tumultibus, ex oblato pacis, & amoris fœdere,

atque ex alijs externis ſignis non admodum obſcurè deprehendimus, quid in regij pectoris ſacrario deliteſcat. Non vna igitur, ſed multiplici via intimos Philippi Regis ſenſus ſubodorabamur, & futuros rerum exitus præuidebamus. Illa veró in dies ſingulos hominum opinio magis, ac magis confirmabatur, multum ſcilicet malorum noſtræ Luſitaniæ inſtare, multũ impendère miſeriarum. Quorſum enim, & iuuentutis, & ſenectutis florem ad Madriti curiam Philippus auocabat? Quorſum viris, opibus, & armis Luſitaniã orbabat? Quorſum in maxima bellorum perturbatione regni neruos præcidere intendebat? Non erat hic aut vultu tegendus, aut taciturnitate celandus dolor. Maxima quippe ijs omnibus obtigit mæſtitudo, quibus curæ erat Luſitaniæ valetudini, & tranquillitati inſeruire. Quis enim patriæ cadenti non manum daret? Quis illam grauiſſimè laborãtem non releuaret? Quis deficientem non reſiceret? Nam poſtquam multum ſanguinis inciſa vena miſſum erat, ne tributorum pondere exhauſtæ vires iterum conualeſcerent, grauius, & non ferendum iniungitur malum.

A Luſi-

A Lusitaniæ finibus potior nobilitas auocatur, vt quò longius Lusitani proceres ab domo sua traherentur, eó infirmius præ immodicis sumptibus deficerent, atque ita totum regnum eneruaretur.

Interea Ioannes Brigantiæ Dux, quá opibus, quá consilijs illos iuuabat, quorum fortuna erat imbecillior. Cumque in alienis malis pumiceos oculos nunquam habuerit, quidquid laboriosi operis suis Lusitanis iniunctum erat satis ægrê ferebat, & pro illorum defensione quidquid durum, ac toleratu difficile esset, libens susciperet. Inconditas plebis voces quotidie audiebat, & totius regni vociferationes, quibus patriæ libertatis defensor, Lusitaniæ seruator, ciuiũ liberator, iniuriarum vindex, iustitiæ restitutor, hæreditariæ coronæ, & sceptri dominus vocabatur. Erat intempestiua illa Regis acclamatio, cum aliter, & in aliud tempus esset differendum æternæ mentis consilium. Et ne inconsideratus populi feruor Ducis auctoritatem etiam leuissimè imminueret, aut labefactaret, consulta maturitate erat prouidendum, vt ille popularis motus vel omnino comprimeretur,

vel

vel ſaltem ad tempus reprimeretur. Cum enim vulgus ſit peſſimus veritatis interpres non quod inſanienti multitudini placet, ſed quod veritati conſonum eſt amplectendum.

Regni clauo moderatrix aſſidebat sereniſſima Margarita Mantuæ princeps, & Sabaudiæ Ducis filia, quæ quidem eximijs animi dotibus præclariſſima, ſub fœmineo vultu virilem fortitudinem, & regiam maieſtatem præferebat. Durum tamen eſt fœminam viris præſidere, quam ſcimus non ad imperandum, ſed ad parendum natam: illam enim in primæua orbis molitione homini ſubditam, & ſubiectam voluit ille mũdi opifex, ac ſator, qui ad Euam dixit, ſub viri poteſtate eris, & ipſe dominabatur tui. *Penes hanc fœminam erãt omnia pacis commoda, & belli incomoda. Hæc erat armorum præſes, in cuius præcipuè humeris inclinatum belli pondus recumbebat. Hæc ab excurſionibus, & latrocinijs noſtri maris littora turbatur. Hæc erat Bellona, quæ non fœmineis lacertis, ſed partim regij ſanguinis ſplendore partim mentis acumine, &*

conſi-

consilio fidens, hanc sibi a patruele suo Rege Philippo impositam prouinciam, quanuis viribus imparem, & a muliebri sexu valde abhorrentem, libens suscepit. Quod quidem omnibus Lusitanis periniquum visum fuit, qui ægrè, nec sine indignatione ferebant, tot clarissimorum virorum curam imbelli fœminæ esse demandatam; præcipuè cum in Lusitania quamplurimi essent viri qua fortitudine, quá consilij maturitate, quá generis claritudine. quá ingenij præstantia, quá mentis æquitate, quá maximarum virtutum ornamentis excellentes, qui optimis a pueritia artibus informati, quidquid ad conseruandam patriam esset necessarium scirent diligenter quærere, subtiliter eligere, ingeniosè disponere, sapienter prouidere. Fœminam veró a natura imbecillam, illiteratam, inexpertam, nullis militiæ laboribus eruditam, quis poterit ad militaria opera facere robustam, ad ineunda consilia literatam, ad regni moderamina disertam, atque expertam? Fateor quidem principis beneficio posse aliquem in mendicitate positum

ex

ex ignobili fieri nobilem, ex obscuro illustrē, ex mendico locupletem; at facere ex ignauo strenuum, ex imperito sapientem, ex imbelli audacem, ex elingui disertum, id profecto solius diuinæ potentiæ est. Si vero inter homines alij rudiores, alij limatiores sunt, alijs politum, & limatum iudicium, alijs hebes ingenij tarditas est; at certè inter fœminas nulla tanto pollet acumine, quæ si hominibus etiam stolidis, & insipientibus comparetur, non possit dici stolidior, & insipientior. Ipse humani generis auctor hominum res ita disposuit, vt inter virilem, & muliebrem sexum longum nobilitatis, & scientiæ interuallum esset interiectum.

Interea temporis Rex Philippus credens inimicorum vires, & conatus, qui intestinā perniciem Hispaniæ moliebantur, non posse solo fœmineo præsidio, & Margaritæ consilio satis comprimi, & propulsari, ad Ioannem Brigantiæ Ducem literas mittit regia comitate, & liberalitate plenas. Nulla erat internuntiorum cunctatio: alij alijs superueniunt: viæ tabellarijs feruent, qui hostem iam iam imminenten, iam nostris littoribus appellen-

tem

tem, iam muros inuadentem Ioanni nuntiarent, quò ipse omnes moras præcipitaret, & præsto cum armis, opibus, & præsidio adesset. Hanc inter satis importunam epistolarum missionem, durissimumque imperium impatienter fluctuabat Ducis animus, cuius nulla apud regem admittebatur excusatio. Qua in re non tam Regem, quám Regis ministrum incusamus; cuius incredibilis peruersitas, & vesanus liuor Brigantinæ gentis celsitudinē deprimere, maiestatem attenuare, gloriam perdere, auctoritatem iugulare cupiebat. Neq; enim alienæ virtutis splendor inuidentium oculos delectare, sed offendere solet. Verum ea fuit Ioannis prudens calliditas, vt, & inuidorum spes fefellerit, & inimicorum conatus eluserit, dum ex durissimis Philippi imperijs plus dignitatis additum, quam ademptum. Imo nihil illi ad regnandum potuit accidere opportunius, quam a pattia exire, Lusitaniæ pagos, oppida, ciuitates inuisere, vires recognoscere, vulgi animos, & sensus explorare, nobilium studia, & voluntates expiscari, miserorum querimonias audire, vt sceptro aliquando potitus, se sui regni acerrimum vltorem

rem exhiberet.

Iterum atque iterum vrgebant Regis iussa, quibus Ioannes quandiu potuit reluctatus, & inter diuturnũ luctamen per literas grauiter questus est, sua merita commemorauit, Regemque sæpissimè obtestatus, vt Brigantinæ familiæ auctoritati, dignitatique consuleret; in memoriam reduceret quidquid Theodosius, Gemius, Ferdinandus, & alij Brigantiæ Duces suis maximis in rempublicã meritis, præstantissimisque rebus gestis fuerint consecuti. Se ad regni defensionem paratissimum, nullumque pro patriæ libertate periculum esse reformidandum. Pecunias ex suo ærario, arma ex suo armamentario, militum copias ex suis oppidis dedisse. Nullum a se officium prætermissum, quo boni fidique cliẽtis animus probaretur. Maximè sui nominis æstimationem dedecere, belli curas cum fœmina partiri. Se manu, & consilio bellicæ artis inexpertum. Quamplurimos esse in Lusitania viros imperatorijs virtutibus claros, & rei militaris scientia eminentes, qui in negotijs laborem, in periculis fortitudinem, in agendo industriam, in conficiendo celeritatẽ,

in

in prouidendo consilium possent exhibere. Se maiori emolumento toti Lusitaniæ futurum, si pedẽ ex Villauiçosæ oppido nõ efferret. Atque ita omnibus rebus circumspectis, rationibusque subductis, nec sibi, nec regno hanc belli curam profuturam. His, & alijs rationum momentis nihilo in sua sententia immutatur peruersus animo minister Comes de Oliuares, imo potius iracundia exardescens, vix inclusum inuidiæ liuorem potuit dissimulare, quin in verba prorumperet acerbitatis plena, affirmans, se post multa rei familiaris naufragia, cogitare de extinguenda, vel saltem attenuanda gente Brigantina. Et quidem in tanta rerum perturbatione maximum damnum erat pertimescendum, nisi optimi viri Antonij Paez Viegas solertia præsto esset, qui vir miris prudentiæ, & scientiarũ luminibus clarus IOANNI a consilio, & a secretis erat. Ab hoc egregio viro, tum calamo, tum consilio vehemẽter laboratum est, ne quid detrimenti Brigantinæ genti accideret, aut illius amplitudo leuissimè obscuraretur: imo potius tam sapienter, & prudenter se gessit, vt inuidentium

improbitatem infregerit, & maleuolorum cogitationes debilitauerit. Iam tum vir prudentissimus, in posterum prospiciens, futuros euentus præuidebat, atq; ita fortiter cogitatione accinctus, vtpote qui ex initijs rerum exitus metiebatur, dominũ suum Ioannem ad regni purpuram summa ope euehere nitebatur. Testis ego auritus meum hac in re proferam luculentũ testimonium. Quo enim tempore ob intolerabilium tributorum exactionem populares seditiones Eboræ concitabantur, cum eodem curru veheremur, & mutuis sermonibus colloqueremur, ego, inquit Antonius, ex hoc populari motu vberrimos nostræ Lusitaniæ fructus spero prouenturos: neque meis cæptis acquiescam, donec herus meus Ioannes regno potiatur. Fuit hoc fatale, & prope diuinum viri oraculum, quod mihi vsque ad hanc diem fido silentio tectum, ac seruatum fuit.

Regi igitur obstinatè, & pertinaciter imperanti etiam cum magno auctoritatis dispendio parendum erat. Quemadmodum enim nauticæ artis peritissimi, si in nauigando aduersantium ventorum impetu extra suum cursum

curſum trahantur, tempeſtatibus obſequi ſolent, & commutato curſu modo huc, modo illuc vndárum, & procellæ arbitrio iactantur, poſtquam tamen ſecundis ventis vtuntur, mox velificatione mutata in portum ſe recipiunt; talis Dux Ioannes in magna inuidiæ iactatione, temporis, & fortunæ fluctibus cedit, donec popularium animorum aura adſpirante, & portum, & ſceptrum teneat, afflictã, oppreſſamque Luſitaniam in veterem dignitatem, ac libertatem vindicaturus. Regnum ſenio confectum, ſanguine exhauſtum, debilitatis, & prope extinctis viribus, non alijs quã Ioannis humeris indigebat. Nam qualis parentum ætas ingraueſcens in optimorum filiorum adoleſcentia conquieſcit: talis Luſitania ſub primo Rege Alphonſo quingentos iam annos nata, deſatigatos, & prope cadauerosos artus ad Ioannis humeros acclinat.

Philippus igitur, qui maximis Brigantinæ gentis meritis cumulatè debuit ſatisfacere, inuidis, atque obtrectatoribus (quibus iſtud crimen præcipuè imputatum eſt) plus nimio credens, nihil aliud cogitat, quam illius gentis authoritatem imminuere, & labefa-

ctare. Quam suspicionem non mediocriter augebat popularis rumor, qui per omnes Lusitaniæ vrbes passim dißeminabat, præcipuos in Madriti curia Regis ministros ruinam, & interitum IOANNI Duci machinari, & toti regno perniciem moliri: alios quidem liuore tactos, alios maleuolentia suffusos, de quibus tamen nunquam Ioannes male meritus erat, cuius optimi, & modestissimi mores non hominum inuidiam conflare, sed amorem poterant conciliare. Has inter inuidentium procellas, & tonantis, imo potius fulminantis liuoris ictus, inconcußa perstabat Ioannis generositas, frontisque maiestas, quam ille hæreditariam accepit a patre suo Theodosio cui post hominum memoriam viro præclarissimo, præter culpam, & peccatum nihil vnquam potuit accidere horribile, ac pertimescendum. Sic enim facilitatem grauitati, sic comitatem seueritati aspergebat, vt regio eminens supercilio, humanis rebus maior omnes humanos casus despiceret, neque vnquam vllis inuidiæ latratibus perterrefactus, vel mæstitiam ore indicaret, vel aliquem indignationis affectum

expri-

exprimeret.

Multa ad eneruandam Ioannis potentiam quæruntur ſtratagemata: ſed dum fragili quærunt dentem illidere, ſolido offendunt. Quanuis enim inſtar molliſſimæ ceræ ad ſui Regis arbitrium formari, & fingi debeant clientes: ſemper tamen moderatrix ſapientia ita imperijs ſit immiſta, vt neque imperium ſit nimis acerbum, neque grauiter cõtumelioſum. Aliter enim iugum detrectatur, & quid quid eſt violentum, non poteſt eſſe diuturnum. Ioannem igitur ab omni ambitionis ſtudio longè remotum, quem Villauicoſæ otium, & vitæ tranquillitas maximè delectabat, omni virium contentione a patria auertere ſtudet, vt immodicis ſumptibus exhauſto ærario, infirmior, atq; imbecillior redderetur; pecuniæ enim ſunt nerui maieſtatis, quibus illa firmior, ac robuſtior ſuſtinetur. imo nobilitas ſine pecunia ludibrio, & contemptui habetur. In oppido Mõtemor, quod duodecim leucarum interuallo a Villauiçoſa diſiunctũ eſt, per aliquot menſes iubetur Ioannes cõmorari. Ducis aduentus incredibilẽ in oppidanis lætitiã excitauit: apud quos collata beneficia

nulla vnquam obliuione ſunt intermoritura. Quotquot enim in mēdicitate, nuditate, vidui tate, orbitate laborabant, ſingularem Ducis beneſicentiam experti ſunt, cuius liberalitas nullis vnquam auaritiæ terminis circumſcripta eſt. Cum verò quidam nobilis oppidanus miram per illos dies bonorum omnium affluentiam, atque vbertatem ſuo in oppido videret, lepidè, ac venuſte dixit: habemus in terris Cornucopiam. *Ea quippe Brigantinis Ducibus erat maieſtas, eaque potentia, vt ad eos vbicumque eßent omnium rerum copia abundè conflueret.*

At quibus curis, & cogitationibus per illos dies Ioannes intendebat? Nullum ab externis hoſtibus Luſitaniæ parari, ſed ſibi vni domeſticum, atque inteſtinum inferri bellum videbat. Non cum hoſtibus, ſed cum inuidia luctandum erat. Hoſtes, ſiqui eſſent, acerrimè coerceret: at inuidiæ ictus ſuo capiti infeſtiores qua ratione propulſaret? Omnes cauere, paucis credere, multa diſſimulare, improbiſſimos inuidentium latratus audire, & tamen conticeſcere, Regi parere, bellorum ſtudia nō interrumpere; de ſarciendis Luſitanorum

dam-

damnis cogitare, militiæ leges componere, omnia denique egregij Ducis munera fortiter obire. Omnes ex Madriti curia, tanquam ex ſpecula, Ducis facta mirabantur: at quantus erat mirantium, tantus erat inuidentium numerus, cum viderent illius facta hominum opinioni reſpondere, Ducemque a ſuis amari, & magnipendi. Hic erat præcipuus ſcopus, quem feriebat inimicorum liuor. Mallent enim, vt Ioannes plurimorum inuidiam ſibi conflaret, quám vt gratiam, & amorem conciliaret. Ille tamen ob ſingularem animi magnitudinem, nec non ob ſuam magnificentiam ad altiora natam, ita omnes ſibi deuinxit, vt ſolum Ioannem regni clauo dignum iudicarent. Qua in re non cunctandum, ſed magnopere properandum cenſebant, ſi populum in hac ſententia perſtantem Ducis volũtas ſequeretur. Verum hæc noui Regis creatio in aliud tẽpus diuino cõſilio erat differẽda.

Adhuc improbiſſimi ſcelerum, & fraudum machinatores ſuo incepto non deſiſtunt. Nec ſatis erat vna tantum via nocuiſſe, & Ducis otium interrupiße, ſed nouas quotidie nocendi artes inueſtigant. Illum interpoſita Regis aucto-

auctoritate, & simulata temporum necessitate, propter nouos belli rumores, ad oppidum Almada festinare iubent, quò mari vicinior illos Oceani portus defenderet, atq; ad arcendos inimicorum incursus, in regni limitibus præsidiarios milites constitueret. Fateor quidem esse difficilimũ de hominum sensu liquido iudicare, & quid inter amicum, & ini micuminter sit, apertè dignoscere. Si tamen ex vno ad aliud liceat facere coniecturam, quis non videt omnes Comitis de Oliuares conatus ad interturbandam Ioannis pacem, vel potius ad perdendum Ioannem fuisse intentos. Ast alius diuinæ prouidentiæ ordo voluebatur, dum suo laqueo capitur qui laqueum tendebat; & quidquid ad Ioannis perniciem struebatur, redundauit ad gloriam. Quas inuidi machinabantur illusiones, erant Ioanni præludia ad triumphum. Quam illi excellentiam attenuare gestiebant, hanc Deus Optimus maximus ad supremæ maiestatis apicem extollere contendebat. Nunc verò miserum Comitẽ angit dolor, interpungunt curæ, mordet sollicitudo, vexat mentis perturbatio, subit tristissima

amissæ

amissæ Lusitaniæ recordatio : at Ioannem in sua iam obtenta, & recuperata hæreditate sũmum otium,& tranquillitas tenet.

Ex Almada (quod oppidũ eminentiori loco ad Tagi ripas ex aduerso sitũ est) pulcherrimam,& florentissimam Olyssipponem, paucis mensibus interiectis, futurum suæ gloriæ theatrum Ioannes spectabat. Ad illam præsagos oculos intorquebat: illam Lusitanorũ Regum sedem mẽte,& cogitatione occupabat: ad illã totis viribus accingebatur. Cũ veró ad Margaritæ Mantuæ principis colloquiũ Regis iussu accederet, haud facile dictu est, quã illi voluntatem, quod studium, quos plausus beneuolentiæ indices præstiterit gens Olyssiponẽsis. Nunquam profusior lætitia vrbem tenuit: nunquã in ciuibus spectandi ardor fuit festiuior, aut studiosior. Ex omnibus plateis turmatim volant: feruent cõpita,& angiportus: promiscua senum, puerorũ,& fœminarũ examina cateruatim cõfluunt, atq; inter applaudẽtium voces, hæc turbulentæ plebis querimonia audiebatur. Quid adhuc immoramur? Quis nos retardat? Cur iugũ nõ excutimus? Cur illatas nobis a Philippo Rege iniurias

voluntaria, & culpanda obliuione dissimulamus? Cur grauiter lacessiti non aliquando repungimus? Cur Lusitano nomini inustam seruitutis maculam non eluimus? Quandiu acerbissimam tributorum exactionem patiemur? Si Rex Ægypti Ptolomæus ob intolerabilia tributa suo regno depulsus, atque ab Ægyptijs eiectus fuit, cur hanc pestem tandiu inter nos grassantem patimur? Si morbis senescentibus tum loci mutatio, tum animi relaxatio, tum curarum remissio prodesse solet: en adest Ioannes, qui inueteratum Lusitaniæ morbum sola regni mutatione, & tributorũ remissione, atq; relaxatione depellet. En adest præ manibus occasio, qua nihil nobis optatius potuit euenire. Non erit nobis hac in re leuitatis, aut insaniæ fama pertimescenda, quãdoquidem pro Ioanne ius, & æquitas pugnãt quibus plerumque victoria comes est. Scimus omnium Lusitanorum voluntates valde abhorrere a Castellanorum moribus, & consuetudine. Rex domesticus, & conterraneus nobis erit amicior, ac beneuolẽtior quám extraneus. Rumpatur tandẽ hæc tessera. Pudeat fœminæ seruire viros ingenuè, & liberaliter

educa

educatos. Sub iustitiæ vexillo nihil nobis aduersum formidandum. Alienum regnum non inuadimus, sed nostrum per sexaginta annos amissum recuperamus. Qui pro iure certat semper erit impiger ad bellandum. Gallos, Batauos, & Anglos habebimus commilitones, quibus Hispana superbia fuit semper inuisa. Ad militares apparatus satis pecuniarum suppeditabunt, & publicæ, & priuatæ opes: vel si hæ desint, ipsa cymbalorum æra liquefacta ad bellicos bombardarum vsus conuertemus. Hæc nobis erit vel calamitatũ extrema, vel triumphorum prima dies: nec minor erit occumbentibus, quam vincentibus gloria.

Hæc erat murmurantis, & mussitantis plebis clandestina indignatio. Quamplurimi etiam inclusam mente iracundiam asperioribus, & liberioribus verbis palam euomebant. Verum alia temporis opportunitas erat expectanda, & maturioribus consilijs in re tam graui erat procedendum. Qui enim præcipitanter, & inconsiderate agunt, suæ temeritati sola pænitentia mederi solent: & plerumque omnis iracundia consilio inimica est:

quo

quo ad negotium tanti ponderis, & momenti maximè opus erat. Optimus ergo mundi sator, & gubernator sic Ioannis dignitatem voluit amplificare, vt omnis illa gloriæ, & honoris accessio non humano, sed diuino consilio pendere videretur. Quidquid enim a Deo agitur, cōsultius, & prouidentius agitur. Atq; adeo cum iam Lusitanorum animi maiori rerum desperatione obduruerant, tunc præter omnium spem, atque opinionem afflictis rebus præsentior adest medicina. Quod vt liquidò constet, nouas quotidie Lusitanæ genti illatas iniurias attexamus.

Nullum mansueti animi officium, sed potius immitis, atque seueri Lusitanis præstabat Rex Philippus. Nihil illi maiori erat curæ quam nostri regni vires paulatim imminuere, atque attenuare, nūc pecunias tributim exigendo, nunc militares copias extra regni fines amandando, nunc armorum præsidio homines destituendo, vt exhaustum regnum nullū haberet suæ defensioni locum, aut subsidium. Ad Cataluniæ regnum (quod tributorum pondere fatigatum a Philippo defecerat, atque ad libertatis asylum, perfugiumque confu-

confugerat) quotidie mittebantur auxiliares copiæ ex Lusitanis collectæ, quibus ob itineris longitudinem, & viarum asperitatem satis laboriosa erat illa expeditio. Nec soli tyrones, sed etiam veterani milites auocabantur, qui ad bellicas excursiones promptiores, atque expeditiores sunt. Durum tamen, & nimis intolerandum omnibus videbatur, nostras ciuitates viris nudatas, omnique præsidio destitutas relinqui vt exterarum prouinciarum auxilio consuleretur. Quæ maior dementia quàm alijs prospicere, & se ipsum deserere? Quæ intolerabilior insania quàm exteros populos annonæ penuria laborantes suppeditato frumẽto releuare, domesticis interim fame contabescentibus? Quid asperius, quam meos conciues nudos, & frigore obrigentes aspicere, alios aduersus aeris inclemẽtiã vestibus obtegere? Potior igitur militum pars inuita, & reluctans trahebatur, bellumque extra Lusitaniæ fines, non amore, sed vi, & metu suscipiebat. Alij fugam arripiebant; alij syluis inclusi, & inter montium latibula diu abdebantur; alij per occultiores trami-

tramites, & loca ſaltuoſa in patriam reuertebantur. Quanuis enim fugæ vitium ruſticanis, ac tyronibus familiare, ab vrbanis, & veteranis hominibus ſit plerumque alienum; ego ſanê iſtam fugam non indecoram, aut inhoneſtam puto; neque enim timor, ſed patriæ amor dabat alas ad fugiendum. Neſcit timere Luſitanus miles: imo is inter nos creditur glorioſior, qui vulneribus confoſſus cadit, quam qui integer, & incolumis ex acie reuertitur.

Ex hoc tam acerbo Regis imperio ingens luctus totum regnum occupauerat. Neque ſolis gregarijs militibus permoleſta erat illa expeditio, ſed ipſi etiam duces, ac milites electiſſimi ſatis ægrè, & peracerbè ferebant, extra patriæ limites pro liberis, pro fortunis, pro vxoribus, pro externorum hominum laribus decertare. Quia vero nullus eſt tam felix, ad quem non deueniat aliquando ſua portio infelicitatis, omnes in Luſitania Duces, Marchiones, Comites, ac Dynaſtæ ad Cataluniæ arma vocabantur, neque vlli quanuis excelſo, & præcellenti viro Regis iuſſa parcebant. Sed cum, magiſtra, ac duce natura, ſoleat euenire,

vt

vt omnes etiam fortiſſimi viri in ſubitis, atq; inopinatis rerum euẽtibus perturbentur, incredibile dictu eſt, quanta animorum perturbatio omnes peruaſerit. Videres nobiliſſimos viros ancipiti cogitatione diſtractos nũc hærere, nunc titubare, nunc reſiſtere, nũc crebris literis Regis voluntatem ſolicitare, nunc alias atque alias excuſationes prætexere, quibus Regis aures obſtinatiores, ac difficiliores ſe quotidie præbebant. Quid facerent exulceratæ Luſitanorum mentes, dum maleuolum Comitis de Oliuares ingenium deterius in dies fieri viderent? Non erat locus cum illo expoſtulandi, erat tamẽ locus diſſimulandi, ne inter maledicas obtrectatorum linguas aliqua daretur accuſationis occaſio. Verum ſi calamitas ſolet eſſe virtutis, ac fortitudinis theatrum, quis non videt in illo calamitatis camino tãquam in theatro, Luſitanæ fortitudinis aurũ clarius enituiſſe.

Hos inter factionum, & diſcordiarum fluctus, quid faceret Ioannes Brigantiæ Dux? Quemadmodum in ſubito exorta tempeſtate turbantur nautæ, alij que per foros curſant, alij malos ſcandunt, alij antennas obuertunt,

alij

alij vela contrahunt, alij nauem exonerant, alij ſentinam exhauriunt, ſolus tamen gubernator animi, & conſilij nunquam inops, in ipſa periculi magnitudine clauo immotus hæret, & gubernaculum ne puncto quidem temporis amittit, ita Ioannes, perterritis cæteris, non terretur, imo potius ob excelſam generoſitatem, omni caſu maior, & ſupra omnem fortunam elatior, neque animo, neque conſilio deſtitutus, ad omnem fortunæ aleam accingitur, iamque ſpe, & cogitatione regni clauum præſumit. Comitem de Oliuares facilem ad ſuſcipiendas, difficilem ad deponendas inimicitias, & nonnulla in Brigantinos Duces maleuolentia ſuffuſum agnoſcebant Luſitani; neque hominis verſutia, & doloſa calliditas Ioannem latebat, quem præcipue petebant illæ machinationes. Brigantinæ gentis amplitudinem non leuiter obſcurandam credebat, ſi Dux IOANNES ex luſitaniæ finibus pedem efferret. Hac enim ratione expenſis immodico ſumptu pecunijs, potentiæ vires ammitteret non ita facile reuocandas. Eundē in Madriti curia ad Regis imperium commorantem a priſtino maieſtatis ſplendore deiciē-

dum

dum putabat: & qui reliquos Hispaniæ Duces longiſſimo dignitatis, auctoritatis, & potentiæ interuallo ſuperabat, nullo diſcrimine agendum; atq; ita viri excellentiam paulatim deprimendam. Ad hanc ſpem totis viribus, & ſumma contẽtione nitebatur improbiſſimi ſycophantæ calliditas. Cum enim in vno Ioanne totius regni ſalus inniteretur, cũ Ioannis interitu totum regnum interiturum credebat. Imo ſicut vinum capiti primo inſidiatur, ita inuidentis Comitis liuor primò ad Ioannem tendit tãquã ad caput, mox totã Luſitaniam cum miserãda ruina perditurus.

Hactenus miſerandam Luſitaniæ captiuitatem, imo potius Luſitaniam ſub Philippi iugo ærumnis deformatam vidimus: neque fuit faſtidioſum ſingula minutatim ſcribere. Vt verò omnia ſub vnũ veniant aſpectum, nõ quidem vanus, aut temerarius auſim affirmare, hanc ſatis pernicioſam mali regiminis luem æquè in ſacris, atque in ciuilibus fuiſſe graſſatam. Vidimus enim Eccleſiaſticas ſanctiones pro cõtẽptu haberi: Sũmi Põtificis auctoritati, & celſitudini derogari: homines moribus corruptiſſimos magni pendi: viros ſapientia,

 & vir-

& virtutibus eximios nullo pretio haberi: Episcopales dignitates venum exponi: in orborum scrinijs depositas pecunias emungi: census pro animarum expiatione ad Missarũ solemnia designatos crudeliter absumi: Ecclesiarum pastores cum maximo ouium detrimento ad ciuilium rerum curam a suis Sedibus auocari: iusiurandũ, immunitates, religionem, viros Deo sacros violari. Hæc in sacris. Quid non temeratum, quid non violatum in ciuilibus? Vidimus totam Lusitaniam immani tributorum pondere laborare: ad propulsandas hostium incursiones nullas classes parari: nostrum mare prædonibus, vias latrocinijs infestari: tam publicas, quàm priuatas opes Madritũ asportari: Dynastas, Comites, Marchiones, Duces non ad defensionem, sed ad regni euersionem auocari: cum nostris militibus sæuam carnificinam exerceri: homines peregrinos, contra regni consuetudinẽ, honoribus, & dignitatibus extolli: Comendas, magistratus, & equestriũ ordinum insignia in famibus dari: omnia denique pessum ferri. Quorsum plura enumerem? Mitto alia genti nostræ illata dedecora. Mitto ardentissimas

odij

odij faces, quo Comitis de Oliuares pectus perfidiosum in Brigantinos Duces æstuabat. Non tamen prætermittam rem omni fide maiorem.

Odoardus serenissimi Theodosij filius, & nostri Regis Ioannis germanus frater, quem domi, & militiæ clarum quamplurima testãtur argumẽta (hic enim ob eximias animi dotes, & præstantissima oris lineamenta, ab ipsa natura sceptro natus, & imperio compositus videtur) nescio quo adductus consilio, vel quo fatali astro impulsus, non viarum asperitate, non odiosa nauigandi difficultate, non hiberni cæli inclementia deterritus, Germaniæ fines contendit, vt sub Imperatoris Ferdinandi signis suæ iuuẽtutis robur inter aulæ delicias non molliter educatum, Martijs studijs, & militiæ laboribus exerceret. Madriti curiam ingreditur, & per internuntios Comitem de Oliuares de suo aduentu certum facit, vt illius interposita auctoritate ad Regiæ manus osculum accederet: neq; sine Regis nutu tam nouam, atque inusitatam Brigantinæ genti expeditionem susciperet. Optimum, & sanum ratus, si nihil cliens sine sui Regis

ductu moliretur. Rei nouitate perculsus Comes primò obstupuit, sed mox homo cerebrosus, & suis cōsilijs semper obstinatè hærens, nunc differendo, nunc procrastinando, nūc aliam, atq; aliam excusationē prætendendo, neq; ad suū, neq; ad Regis colloquium Odoardum admittit, imo illum insalutatū abire sinit. Nō potuit non concipere iracundiam animus generosus, caute tamen est dissimulatum doloris vulnus. Viri enim principes, vbi non datur vindictæ locus, prudēter dissimulant, sed iniuriæ obliuionem difficile capiunt. Ergo Odoardus viæ accinctus Viennam Austriæ metropolim venit. Interea Hispani cauillatores, eò deueniūt impudētiæ, vt Imperatoris aures mille in Odoardū mendaciter dictis onerauerint, quò illis cauillationibus Imperatoris animus ab Odoardi amore auerteretur. Hæret in deliberando Imperator, donec prudentiori consilio victus, & Hispanorū accusationes nihili faciēs Odoardum perquā benigne excipit, ac paucis mensibus interiectis eundem militiæ præficit.

Incredibile memoratu est, quantū præsidij, & ornamēti rei militari cū Odoardo accesserit. Nullus erat ad pericula capessenda auda

cior

cior: nullus inter ipsa pericula cōstantior: nullus famis, sitis, algoris patiētior: nullus in explorādis inimicorū consilijs vigilantior: nullus in eludenda calliditate sagacior: nullus in accendendis militū animis alacrior: nullus deniq; tū bellicis, tū imperatorijs virtutibus instructior. Verum (ô fallax, & insidiosum hominū pectus!) quid pro maximis, & singularibus meritis excellentissimo viro præstitū est? Quæ fuit laborum, & vigiliarū merces? Quæ laurea ex tot victorijs reportata? Pro lauro vincula, pro triumpho datur carcer, & custodia, quā per sūmum scelus detinetur vir præstantissimus, ipso terrarū orbe impatienter reclamāte, & periniq; ferēte hominem innocuū illo supplicio affici, quod in solos flagitiosos constitutum est. Latissimus hoc loco aperiebatur cāpus, in quo posset meus calamus spatiari, imo potius increpare Hispanæ gētis odiū inueteratū aduersus familiam Brigantinam. Verum vbi res ferro agitur, linguis parcēdū est. Pro calamo loquatur gladius, sanguis pro atramento, cāpus Martius pro papyro. Nos ad inceptū redeamus, & quó vocat dulcissimus libertatis fructus eodē scribēdi ardore festinemus.

 ARGV-

ARGVMENTVM
In Librum Quartum.

Præclarum facinus Lusitanorum vnanimi coniuratione ad libertatem patriæ conspirantium. Occiditur Michael de Vazconcellos, qui Regi Philippo erat a secretis. Ioannes Brigantiæ Dux acclamatur Rex Lusitaniæ. Margaritæ auctoritas nihil valuit ad sedandam popularem concitationem. Christi crucifixi effigies manum dexteram clauo affixam refigit. Varia memorantur prodigia. quæ per hosce annos nostram libertatē prædixerunt.

LIBER QVARTVS



ÆC fuit ærumnarum assiduitas, hæc incredibilis congeries, malorumq; omnium redundatio, quæ in dies grauius, atque acerbius Lusitanorum animos vulnerabat. Immota tamen, diuque inconcussa stetit patientia, quam sæpissimè accendit, & stimulauit, sed nunquam superauit impatiens furor. At postquam immenso laborum cumulo ipsa tolerantia obrui visa est, neque iam dissimulatione, vel taciturnitate potuit celari dolor, non sola iuuenum ferocitas, sed etiam senum grauitas, & puerorum infirmitas libertatis desiderio, & studio accenduntur. Quod sane studium neque iniucundum, neque fuit in-

fructuo-

fructuosum, imo res, & feliciter tentata, & felicissimè est absoluta. Quanuis enim per sexaginta captiuitatis annos, is esset Lusitanorum languor, eaque desidia, vt vel in nulla, vel in tenui laudis, & gloriæ cupiditate versarentur: postquam tamen se nimis grauiter, & nimis inhumanè tributis vexari, & Castellanæ genti ludibrio esse intellexerunt, tẽporis iniquitati obsistere statuunt, & rebus iam desperatis, fortunæ cursum aut interrũpere, aut penitus inhibere. Quis enim æquo, imo potius non iniquo animo ferret, longè lateque dispersum, ac diffusum Lusitanorum nomen quotidie imminui, obscurari, sepeliri? Quis non acerbe doleret, tantum oneris Lusitanorum humeris quotidie esse iniunctũ, ac si non ingenui, sed libertini essent? Quis non ægrè pateretur homines honesta in familia institutos, & satis ingenuè educatos, instar seruorũ durissimis agi, & exerceri imperijs, quæ non solum liberæ, sed ipsi etiam seruili conditioni possent esse fastidiosa? Cum igitur hic morbus in dies ingrauesceret, & maioris damni, ac periculi metus regno quotidie inijceretur, quid facerent homines remedij inopes

pes, qui omnes suas fortunas in extremo sitas esse intelligebant. Instar esurientis lupi inhiant libertatem: ardent honestissima excutiendi iugum cupiditate: quærunt socios, & administros suorum consiliorum: omnes moras, & difficultates abrumpunt: in consilio deliberationem, & in deliberatione consilium ineunt: temporis, & horæ quæritur opportunitas: in repentino, atq; inopinato facto desideratur celeritas. Quanuis enim qui properantius pergit, præceps plerumq; ruat, & nimia festinatione periculum emat, prudentis tamen viri est, vbi consuluerit, factum maturare, ne per interpositas moras agendi ardor intepescat, & pro acrimonia desidia obrepat.

Multi igitur, quos vita innocentissimè acta non mediocriter commendabat, se Deo, & reipublicæ gratum facturos existimant, si Lusitaniam periculis circumuentam, seruitute pressam, laboribus obsessam, á periculo liberēt, á seruitute eximant, à labore vendicent. Tãtum si perpetrent facinus, credunt nulla apud omnem posteritatem obliuione obscurandum, imo omnem nepotum, ac pronepotum seriem patriæ liberatores æneis laminis incisos ad æter-

æternitatis monumentum conseruaturam. Omnium nomina libens hæc pagina exciperet, nullusque inhonoratus, ac sine mentione á me transmitteretur, ni prudentioris operæ pretium ducerem, in magna hominum multitudine á singulorum nominibus sigillatim referendis abstinere: credens illos magis silentio, quám scripto commendari. Illud vnum audacter dicam, primæ nobilitatis viros, quorum auctoritas plurimum in vrbe pollebat, quorum amor popularibus acceptus, quorum robur militare omnibus notum, quorum splendor, ac generis decus erat eximium non auaritia, aut ambitione præcipites, sed solo patriæ amore ductos, vnanimi consensu, & diuina conspiratione ad noui Regis creationem conueniße, fide, & fortitudine pares, ætate tamen dispares. Alios senilis maturitas, alios iuuenilis firmitas, alios primæ adolescentiæ ornabat decor, & concinnitas, vt in tam præclaro facinore prudentia simul, & temeritas eminerent. Si enim soli iuuenes conspirarent, præceps æstuantis ætatis feruor accusari, atque insimulari poßet. Si soli senes conuenirent, multum deeßet ardoris,

& in medijs conatibus ſenio trementes manus frigeſcerent. Vtrumque ergo ad tam inſigne facinus, & ſenum prudentia, & iuvenū audacia debuit commiſceri, ne conſilium ſine fortitudine, vel fortitudo rueret ſine conſilio.

Egregiam hac in re nauauit operam Antonius Paez Viegas, qui tum temporis Ioanni erat á ſecretis: cuius viri eximias animi dotes iam ſupra memorauimus. Nec prætermittendus Ioannes Pinto Ribeiro, qui Olyſſipone Brigātinæ gentis res agebat, vir ingenio pollens, flagitiorum impatiens, in agendo acerrimus, veri, & æqui ſeruantiſſimus, cuius cōſilio, & auctoritate quidquid hac in re arduum erat, feliciter tentatum, & feliciſſimē eſt abſolutum. Hi duo viri modo per colloquia, modo per clancularias epiſtolas Ioānis voluntatem á regnandi cupiditate non auerſam ſolum, ſed etiam abhorrentem ita inflexerunt, vt totius Luſitaniæ votis non potuerit refragari, & quanuis illi fixum, deſtinatumque eſset, non ſuſcipere imperium, ſuſcepit tamen non priuatæ, ſed publicæ vtilitati inſeruiens. Cum igitur ad tam præclarum facinus perficiendum ſola Ducis voluntas deſideraretur

hæc vbi primum innotuit, omnes excutiuntur moræ, dextris que datis in fidei argumẽtum, dies præscribitur a coniuratis, in qua susceptum consilium erat maturandum. Non sortitò, aut fortuitó, sed Dei prouidentia factũ credo, vt prima dies Decembris tam eximio facinori eligeretur, in qua illud Pauli Apostoli ad Romanos in Ecclesiastico officio recitabatur, fratres hora est iam nos dè somno: surgere. Qui enim miserrimæ seruitutis sõno profunde immersi, imo potius lethali veterno deuincti tenebamur, iam tandem libertatis studio experrecti rempublicam recuperamus. Inter coniuratos mirum est quám obstinate actum sit silentium, & quám inuiolatè steterit Sacramentum. Filius non patri, non matri fidere: pater rem tanti momenti filios celare: amicus amico nihil detegere. coniux coniugi nihil innuere: omnes immutato vultu rem dissimulare: nec tamen á publicis, aut priuatis colloquijs discedere. Sed quia inculpata conscientia nunquam timet, imo in rebus dubijs solet esse audacior, nihil prius habent quám per confessionis Sacramentum crimina expiare, & se diuini corporis conui-

uio

uio ad congressum reddere munitiores. & audentiores.

Erat ea tempestate Regi Philippo á secretis Michael de Vazconcellos, qui maxima animi intemperie elatus, & secundarum rerum euentu supra humanum modum intumescens, neque suis, sed fortunæ decoratus insignibus, multa simulatè, multa fallaciter, multa insidiose machinabatur, vt regno exitium maturaret. Hic tributorum diligentissimus inquisitor, & inuestigator, plagam insanabilem, atque mortiferam iam iam ruenti patriæ infligebat, neque publicis, sed priuatis commodis inseruiens, solo auaritiæ, cupiditatis, & ambitionis insatiabili studio accendebatur. Erat præterea viro satis durum, & inflexibile ingenium, tam nobilibus, quám ignobilibus insociabile. Verba inurbana, nihil habentia comitatis, plurimum feritatis: atque ob id plebi inuisus, nobilitati infensus, omnibus infestus habebatur. Vt verò suæ nequitiæ adiutorem, suæ cupiditatis fautorem, suorum consiliorum administrum, & socium haberet, duplici affinitatis vinculo sibi coniunxerat Iacobum Soares in Madri-

ticu-

ti curia secretarium, cui primo sororem, & post huius decessum, filiam vxorem dederat. Hunc Iacobum honesto loco natum scimus, sagaci, callidoque ingenio; insatiabili pecuniarum, & honorum siti; suis affinibus, & consanguineis addictissimum; patriæ suæ hostem perniciosissimum, qui illam nouis tributorum oneribus afflictam grauius in dies opprimebat. Erat denique homo non in rectum, sed in peruersum solers, apud quem nullus erat iustitiæ, probitati, & æquitati locus, sed suis tantum lucris auidissimè intendebat. Hunc sibi comitem, hunc egregium mendaciorum, & flagitiorũ artificem affinitatis nodo illigauerat Vazconcellos, vt inter se pacis, ac belli curas partirentur, & hoc duplici cardine ingens regni machina uolueretur. Atque ita hinc socer, inde gener ad improbitatem vnanimes, ad regni perniciem concordes; ad sua emolumenta vigilantes, his, & alijs artibus nostram Lusitaniam perditum ibant. Cum enim Iacobus vel calliditate, vel muneribus, vel blanditijs, vel assentationibus (quæ sunt aulicorum artes) in Comitis de Oliuares amicitiam,

& con-

& consuetudinem se penitus insinuasset, atq; immersisset, ad illius nutum, & abnutum stabant omnia. Quod quidem infortunium satis miserandum erat, & toti regno dedecori vertebatur. Neque immerito ex Platonis, siue ex Socratis oraculo dictum fertur, tunc regnum aliquod funditus interiturum, & penitus esse inuertendũ, cum æs, & ferrum ad illius regimen, & custodiam fuerit deputatum. Hoc est, cum homines consilio, prudentia, optimis moribus destituti, atque omni virtutis præsidio nudati, quorum ingenium sit æreum, vel ferreum, alicuius reipublicæ gubernacula tractanda susceperint, tunc illam ad omnium ærumnarum Syrtes, ad omnium calamitatũ scopulos miserando naufragio allidendam. Infelix regnum vbi tot ingenia verè aurea ex ferreo, vel æreo ingenio vitæ legem, & normam accipiunt! Infelix regnum vbi tot sapiẽtes homines ex insipientium consilio pendent! Nos diu sapienter tulimus, quidquid ab illis insipienter statutũ fuit. Sed tam insolens, atq; intemperatus rerum cursus erat aliquando inhibendus.

His consiliarijs stabat, imo potius cadebat

res

res Lusitana. His consiliarijs, imo potius his mercatoribus, & venditoribus erat in Madriti curia iuris, & fortunarum nundinatio. Sed quia flagitiosus animus inquietudinem parit, vtrumque pungebat malefactorum suorum conscientia, & in media prosperitate ruinam timebant. Nemini fidere, suis rebus consulere, suos propinquos, & familiares ad omnes honoris gradus euehere, omnia reipublicæ munia venalia exponere, nullam inuictu, in cultu corporis, in sectandis voluptatibus continentiam seruare, publicum ærarium exugere, Ecclesiasticas dignitates immerentibus distribuere, homines infamiæ labe respersos equestri ordini adscribere, pacē denique, & militiam pro suo arbitrio moderari. Illos ad eam insaniam adegerat insatiabilis cupiditas, vt se ipso Rege maiores, & potentiores crederent, & nemini parere scirent, indigni qui alijs imperarent. Verum hæc fortunæ incrementa erant aliquando minuēda, cum nemo sit tam felix, qui omnem suam ætatem ducat á malis omnibus inoffensam. Solet præterea humana felicitas tantum nebulæ, & caliginis mortalium mentibus infundere, vt

neque

neque districtum ensem ceruici impendentem videant, neque imminentem supplicij grauitatem agnoscant, neque præsentis infortunij periculum sentiant. Illos non latebant turbulentæ plebis clamores, & impatientes querimoniæ. Nouerant popularem concitationem grauissimis tributorum oneribus reluctantem. Audierant indignantis nobilitatis voces. Viderant totum regnum sæpissimè commotum, atque insedatum: & tamen scopulis surdiores in suum damnum præcipites ruunt. Ita profectò ineluctabilis fatorum vis quorum fortunam mutare constituit, consilia corrumpit.

Cælesti igitur instinctu, diuinoque afflatu concordes Lusitani adsunt ad præstitutam diem, qua nulla vnquam felicior, aut fortunatior Lusitaniæ illuxit, nulla vero Michaeli de Vasconcellos infelicior, nulla acerbior, nulla luctuosior. Quæ enim mortuã Lusitaniam suscitauit, hæc viuentẽ, & florentem Michaelẽ extinxit. Iulio Cæsari Idus Martiæ fuerunt exitiales, cum se coniuratorum manu circumuentum, & strictis pugionibus adpetitum animaduertit; at Michaeli kalendæ Decembris lethales, & lugubres fuerunt, cum se ex sũmo

feli-

felicitatis cumulo ad infelicitates, & infortu nia depreßum vidit. Illa dies mensi prima, fuit vltima Michaeli. Ad Kalēdas igitur Decembris, ad nonam horam matutinam tam præclaro facinori præscriptam, omnes qui ad patriæ libertatem conspirauerant, cum armis præsto sunt, vt dato signo ad suum quisq; locum occupandum acceleret. Adsunt duces veterani, adsunt milites bello fortissimi, adest Lusitanorum iuuentus armis cincta, mori, aut vincere parata. Omnes vti docti erant cū armis introducūtur; tumultuaria in aulā fit irruptio: omnia miscentur strepitu: scrutātur loca abdita: effringunt clausa: Michael in armarij latibulo, ad quod pauidus profugerat, reperitur: in primo armatorum hominum conspectu timet, turbatur, expallescit, & ex sceleris sui conscientia rebus suis diffidit: infestis animis, ac telis petitur homo infestissimus: qua gladijs, qua pugionibus miserum corpus confoditur, & iam exanime de fenestra ad terram præcipitatur, vbi insultantis plebis ludibrio, & puerorum irrisionibus expositū, biduo iacuit inhumatū. Nec fuit satis prætereuntiū pedibus informe cadauer proculcari, sed alia fœdior deformitas

ex truncis naribus, & præcisis auribus addebatur. Ad hoc tam funebre spectaculum, in vultu, atque oculis spectantium nullum apparebat mæroris signum, imo omnes risu, sibilo, plausuque incredibili mortuo insultabāt. Nihil erat quod diem illam lætissimam funestaret, quin potius effusior voluptas ad sensus cum suauitate illabi videbatur, quoties vox illa repetita aures demulcebat: Viuat Rex Ioannes, viuat patriæ vindex, viuat nostræ libertatis assertor. & seruator. *Nullus erat qui occiso Michaeli illacrymaret, multi aderant, qui exprobrarēt, multi qui iactarent conuicia, multi qui illum superbiæ, & ambitionis hac voce insimularent. Ito hominum superbissimè, & quem præ nimia insolentia vix tota ciuitas, imo vix totum regnum capiebat, exiguus terræ pugillus nunc excipiet. I tuæ patriæ pestis, & flagellum: desine probos, & benemeritos viros tuis turpiter dictis, & turpissimè factis insectari. I scelestissime, improbissime, audacissime Catilina, quo nullus crudelior, nullus inhumanior, nullus patriæ fuit insidiosior. I qui tuo scelerato consilio tam fœde, atque inhoneste rempubli-*

cam

cam administrabas. I qui immerentes homines nunc vinculis, nũc verberibus, nunc iniurioso ad triremes supplicio abrasa barba excruciabas. I cuius insaturabile abdomen nullis comessationibus, nullis ebrietatibus, nullis gulæ iritamentis explebatur. Cecidit, cecidit Babylon illa magna. *Sed ne insepultum cadauer teterrimo odore auras inficeret, aut á canibus discerperetur, aliquod humanitatis officium erat exhibendum, neque viro catholico sepulturæ locus denegandus. Quapropter eodem feretro, quo mendicãtium corpora ad tumulandum efferri solent, nullá funeris pompa deportatum, atque humatum est.*

Hanc iufaustam Michaelis mortem infausta, & funesta signa portenderunt. Monitus enim ab amicis (qui magis hominis fortunã quam ipsum hominem amabant, erat quippe inamabilis) vt sibi præcaueret, cui fatum inelu&tabile iam imminebat, ipse ad petulans, & illiberale iocandi genus á natura compositus, solo risu, & sibilo salutares amicorum monitiones excipiebat. Quis, inquit, eó amentiæ, atque audaciæ deueniet, vt tantum, & tam excellentem virum ferro audeat contingere?

Quis nostram dignitatem à Rege secundam violabit? O cæcam, & improuidam hominis mentem, imo potius furiosi, & vinolenti hominis somnia! Præstantissimi duces, Reges, Imperatores ferro incauti, & improuisi occubuerunt, tu vilis homuncio hac tua personata auctoritate coniuratoru m manus deterrebis, furorem retardabis, mucronum aciem hebetabis? O caput vel cerebro vacuum, vel elleboro dignum! Iacet profecto iacet tuum ventricosum corpus, quo nullum vixit fædius, nullũ inquinatius, nullum scelestius. Neque illud silentio est obtegendum, quod nonnulli oculati testes iureiurando testificati sunt. Eadem scilicet hora qua fuit occisus, in ipsius palatij culminibus ferales aues visas esse bubonibus, & vespertilionibus similes, quarum lugubris color, funebrisque aspectus intuentium animis mærorem insinuabat. Aues igitur infaustissimæ, aues dirum, ac ferale omen, quæ ob nimiã oculorum debilitatem non possunt non ad illud clarissimum iubar conniuere, merito atq; optimo iure adstant ad hominis funus, qui nũquam rectis, atque irretortis oculis iustitiæ, veritatis. & æquitatis Solem est intuitus.

Claros

Claros profecto viros è vita decedentes clara insequuntur præsagia, qualia Matthiæ Coruini Hungarorum Regis obitum portenta prædixere. Nam Leones qui Budæ detinebantur, eodem quo Rex die interierunt. At virum moribus obscurum, & in omnibus vitæ suæ partibus sordidum, immoderatum, atque intemperantem nonnisi funereæ, & luctuosæ aues occasurum portendunt.

Sed mittamus hoc nostræ ætatis monstrũ tumulo pariter, & obliuione consepultum. Vestram audaciam, o Lusitani, non possum non qua laudatione dignam venerari, qua venia indignam arguere. Vobis in hoc laus est tribuẽda, quod viriliter egistis, hominem flagitiosissimum occidendo, in hoc veró non danda venia, quod aliquos superstites reliquistis, de quorum fide sinistram opinionem plebs omnis altè imbiberat, & quos postea regni traditores, & proditores experimento didicistis. O vtinam illorum sanguine gladij imbuerentur, illaque perniciosissima scintilla tunc cum decuit extingueretur, quæ si in suo ortu esset compressa, magnum postea incendium ad regni conflagrationem nõ excitaret.

Vestrum factum ō Lusitani foret æquè laudabile, atque imitabile, si eodem die, & eodem temporis puncto, illos omnes quos turbulenta plebs clamore, & minis insequebatur, tanquã læsæ, aut lædendæ maiestatis reos, & tanquã in patriam suspectos, eodem mucrone perimeretis. An credebatis illos, qui virtutis insignia sine virtute assecuti fuerant, & cum maxima indignitate ad dignitates ascenderant, posse in Regem æqui, & iusti seruantissimum consentire? Quæ improbitatis ad probitatem collatio? Quæ iustitiæ ad iustitiam similitudo? An credebatis conflatam ex longo inuidiam subito esse commutandam in amorem? Vtinã ex hominum numero expungerentur illi homines, imo potius immanes belluæ, quorum sæuitia, atq; immanitas eò fuit detestabilior, quo mitior, & clementior est nostri Regis indoles, cereumque ingenium, ad cuius conspectum ipsa etiam domari immanitas, ipsa barbaries poterit mansuefieri.

Cum verò repentina, atque inopinata grauiora plerumque sint, non potuit non serenissima Margarita Mãtuæ princeps, & Sabaudiæ Ducis filia, quæ regno assidebat guber-

natrix

natrix, ad tam ſubitum, & tam inſperatum rerum euentum grauiter expaueſcere, perturbari, expalleſcere. Verum quo quiſque eſt generoſior, eó placabiliores habet animi motus. Illa quidem primó excanduit rei nouitate perculſa, ſed mox ad tranquilliorem mentis ſtatum reuerſa, quid, inquit, ó Luſitani ſibi vult hæc popularis concitatio? Quid fert hæc inuſitata ſeditio? Hæc eſt Luſitanorum erga ſuos Reges perſpecta fides? Parcite, parcite ó Luſitani, ferrum condite, armis abſtinete, iras comprimite; ſatis ſuperq; ſæuitum eſt in vnius hominis nocuum caput. Quas meruit pœnas luit Regis miniſter toti regno infeſtus, atque inuiſus. Ego Philippi Regis iram demulcebo: ego eum vobis placatum, & conciliatum dabo: eſt enim Regibus ab ipſa natura inſitus, atque ingeneratus amor in clientes. Communis hic error cauſas habuit honeſtiſſimas. Quidquid fortiter, at inſipienter deliquiſtis, prudenter ignoſcet Rex: ipſaque meam adiũgam operam, & omnem interponam auctoritatem, vt quidquid in exoranda venia negotij eſt, commodiſſime conficiatur. Ita illa.

Sed nihil valuit fœminæ auctoritas cõtra

vim concitatæ multitudinis. Clamant omnes, & vociferantur, hæc nobis dies initium erit libertatis: viuat Rex Ioannes: nullam á Philippo neque petimus, neque optamus veniam: & nostrum hoc factum nulla vnquam sequetur pœnitentia. Pro Ioanne decertabimus, pro Ioanne in capitis periculũ veniemus, pro Ioanne omnes corporis cruciatus perferemus, pro Ioanne in dubiam Martis aleam abducemur, imo in ipsa extrema spe salutis tantam virtutem præstabimus, vt cadentibus, & iacentibus commilitonibus ipsi impauidi insistamus, atque ex sociorum cadaueribus gradus ad pugnam, & ad victoriam faciamus. Reuixit pristina Lusitanorum virtus. reuixit militaris vigor, reuixit ille spiritus imperterritus cui ferrum, & fatum parent, & quem sibi exteræ nationes non ad æmulandum tãtum, sed ad imitandum proponebant. Iam Castellæ iugum abiecimus. Iam non Iberos timebimus, quibus olim eramus terrori. Iam nõ Mauros metuemus, quibus olim eramus formidabiles. Iam non Turcarum genti erimus ludibrio, quibus olim illudebamus. Si enim recens natum regnum in ipsis cunabulis hydros

dros comprimit , quid faciet ætate iam adultum.

Ad primam noui Regis acclamationem videres omnium animos excitatos, atque inflãmatos ad regni defensionem emicare, oblatam occasionem arripere, confusã senum, iuuenum, puerorum multitudinem per vicos, per compita, per plateas turmatim volare; omnes cateruatim , vti quosque fors conglobauerat, in Archiepiscopi Roderici domum cõcurrere, qui ob insignem pietatem, modestiam, religionem, prudentiam, sapientiam, generis splendorem, tam plebi, quam nobilitati acceptissimus, tot, & tam præclaris viris petentibus nõ refragatur, non obsistit, non contradicit. Hoc salutari remedio iam iam cadenti Lusitaniæ satis prouisum , & consultum credit , illud proferens Dauidicum eloquium : à domino factum est istud , & est mirabile in oculis nostris . *Præsul igitur magna vtriusque ordinis hominum multitudine stipatus in maiorem Ecclesiam descendit , grates Deo soluturus , qui exangui, & pene exhausto regno manum dedit, rebusque afflictis insperatam opem tulit.*

Quas

Quas ibi voces voluptatis plenas, quas lacrymas ex lætitia obortas, quæ ſuſpiria ſingultibus interrupta, quos plauſus exultationis indices circumſtantium oculis, ore, vultibus vidimus prominere. Hæc eſt illa ætas aurea; hæc ſunt regna Saturnia; hæc bene ominata dies; hic feliciter auſpicatus annus. Nunc pileati Luſitani tota vrbe diſcurrant, qualis plebs Romana, Nerone vulneribus confoſſo, pileos libertatis inſigne læta circumtulit. Nunc inſolitum, atque inuſitatum plaudendi genus, tubarum clangor, cymbalorum tinnitus, organorum concentus audiatur, qualis olim á populo Iſraelitico auditus fuit, cum interfecta impiiſſima Athalia, regnauit Ioas filius Ochoziæ.

In maximo virorum conuentu, & circũfluentis populi concione, ſemel atque iterum exclamat Pontifex Rodericus: Viuat Brigãtiæ Dux: viuat IOANNES hoc nomine quartus, Luſitaniæ Rex. *O inſperatum, neque opinatum gaudium! Ad hanc vocem tota vrbis facies miro tripudio exultabat: lætabantur ciues: electiſſimæ virgines ad feneſtras, ad ianuas, ad portarum limina prodibant in*

comptæ

comptæ: matres ad ſpectaculum ſiſtebant inornatæ: opificum opera pendebãt interrupta: ipſi parietes ridere, ipſa mœnia geſtire videbantur. Alij qua ſtupore, qua lætitia perculſi, non vigilare, ſed ſe nocturnis deluſos imaginibus ſomniare credebant. Id tamen non ſomnium, ſed inſomnium probauit feliciſſimus rerum euentus. Illi verè ſomniabunt, imo potius inani ſomniorum vmbra decipientur, qui falſa capti ſpe Luſitaniæ regnum ad Philippi manus credunt aliquando deuenturum. Non ita ex maiorum noſtrorum monumentis, non ex prophetarum oraculis, non ex ſanctiſſimorum virorum vaticinijs accepimus. Quin potius æternum Luſitanorum imperium nullis temporum, aut dierum terminis finiendum, ſed ijſdem, quibus ſolis curſus, regionibus continendum.

Illud verò prodigio ſimile omnibus viſum eſt, quod ſcilicet in tanta temporis truculentia, in tanta rerum omnium perturbatione, in ciuitate omnibus nationibus frequentiſſima, in populo præ lætitia ad inſaniam redacto, inter ciues lymphatis ſimiles per plateas impunè curſitantes, inter perditorum adoleſcentium

greges

greges inter licentiosæ iuuentutis impudicitiam flagitiosã, inter tot viros sceleratos prædæ desiderio inhiantes, inter popularem multitudinem habitu, linguis. moribus, & consue tudine diuersam, inter confusam gentium col luuiem, in vrbe totius Europæ emporio, vbi assiduitate quotidiana lites, rixæ, iurgia, conuicia, ciuiles controuersiæ, & dissensiones audiuntur, tantam fuisse illius diei tranquillitatem, tantam animorum pacem, atque concordiam, vt nihil improbe, nihil turpiter, nihil inique gestum sit, sed in omnibus florentissimæ ciuitatis plateis fuerint alcedonia. Non furta, non latrocinia, non cædes, non rapinæ, non direptiones, non homicidia, non contentiones, sed tam quieta, & tam pacata erat vrbis facies, vt non absentem, sed præsentem Regem habere videretur. Si ergo Regis absentia ita omnes continuit, vt nihil licentiæ, aut insolẽtiæ commissum fuerit, quid efficiet præsentis Regis maiestas, quid illa frontis serenitas, & seueritas, quæ omnibus intuentibus amorem pariter, & timorem conciliat? Non ita Cæsar Caligula, cuius potentia adeo erat plebi infesta, & formidolosa, vt vulgo di-

go di-

go *dictitaret*, oderint dum metuant, *at nostri IOANNIS hæc est vox verè regia*, ament, & metuant. *Improbi me terribilem, & formidabilem, at probi viri mitem, atque amabilem agnoscant. Hi me patrem, & pastorem, illi iudicem, & vindicem experientur. Si veró Deus Optimus maximus in corpore animum, in animo intelligentiam, in intelligentia vim discretionis conclusit, hanc discernendi prærogatiuam Regibus peculiarem esse voluit, qua probitatem, & improbitatem, præmium suppliciumque discernerent. Qui enim aliter facit, similis est insipienti, stol.doque agricolæ, qui cum noxijs, & venenosis herbis triticum simul auellit. Hinc est, vt apud Platonem princeps dicatur* mundi ratio. *Quemadmodum enim in homine (qui dicitur mundus paruus, eo quod ad magni mundi similitudinem conditus sit) ratio est præcipua, & nobilissima animæ facultas, ob quā reliquorum animantium obtinet principatum, atque á cæteris animātibus idē homo secernitur, ita viri principes, & qui alios regūt, aut orbi dominātur*

non

non quidem naturæ impetu, sed solo rationis ductu debent procedere ad regium munus integrè perficiendum; neque vnquam inconsultæ libidinis, sed rationis consilio illis est obtemperandum.

Non vno tantum prodigio fuit terminata illa dies, sed nunquam cæli facies benignior, aut clementior huic regno aspirauit. Nunquã Dei liberalitas effusior, aut indulgentior fuit in Lusitanos. Non potuit non stare promissis Christi seruatoris nostri veritas infallibilis, quæ neque decipere, neque decipi potest: imo in hac die suam Regi Alphonso adstrictam fidem, nos omni metu, & solicitudine liberauit. Cuius promissionis neque ille oblitus, neque nos dubij, aut immemores sumus, cum in cãpo Ourique iactum regni fundamentum non quidem aliquo angulari lapide, sed hoc diuino promisso solidauit, atque stabiliuit. respiciam, & videbo. *Nunc tandem respexit, nec respexit solum sed etiam adiuuit. Oculos ad respiciendum contorsit, manus ad adiuuandũ extendit. Cum enim in more, consuetudineque maiorum positum sit, vt crucem, sanctissimum fidei nostræ vexillum, arboremque salu*

tiferam

tiferam, metropolitanus domo exiens secum præferat; vbi primum crucem illam argenteā tam eximiæ molitionis consciam, ac testem, necnon, & præclaram auspicem, ac gubernatricem illius diei, Diui Antonij sacello iam propinquantē vidimus, subito ad intuētium iucunditatē non mediocriter augendā, res contigit prodigiosa, vel prodigio simillima. Ecce enim seruatoris nostri effigies ex ipso argento expreßa dexteram manum, quā humani generis amor cruci affixerat, omnibus inspectantibus refigit. Inter confusam populi multitudinem videres alios stupore defixos, alios voluptate perfusos, alios obortis ex gaudio lacrymis conclamantes, Miraculum. Miraculum. *En Dei manum adiutricem, en fautricem, & noui Regis, ac regni moderatricem habemus. Afflicto, & magnitudine calamitatū debilitato regno nihil sub illa manu erit pertimescendum. Ad totius terrarum orbis amplexus manus habet in cruce extentas, sed ad nostræ Lusitaniæ defensionem, ac si ferrei claui essent impedimento, manum porrigit expeditiorem. Sub illa manu bellorum comite, victoriarum indice, triumphorum ar-*

bitra

bitra nulla in Lusitanos poterit cadere animi infractio, aut demissio. Sub illa manu, quæ fortunam regit, nullum poterit Lusitaniæ cõtingere infortunium. Fixam manum pro parma, refixam pro gladio, crucem pro Martiali campo accipiamus, & sub tanto duce armis alacres accingamur. Si veró agrorum inculta virgultis, & vepribus vestita, ad tegendos equites, peditesque latebrosum locum solent efficere; nos etiã in illo capite spinis coronato, tanquam in vepreto, hostiles insidias declinabimus. Iam verò non sinistram, sed dexteram manum clauis exoluit, vt omnia dextra, nihil sinistrũ Lusitanis eueniat. Vanis idolorum cultoribus, qui posthabito sanctissimæ religionis cultu, verum Deum ignorant, necnon, & hæreticorum leuitati, atq; instabilitati, qui quãplurimas mendaciorum nebulas in Christi ecclesia excitarunt, sinistram Dei manum in formidanda iudicij die libenter damus; at nos qui fidei puritatem, & Romanæ sedis vnitatem amplectimur, ad dexteram Dei manũ confugimus, & siue pacem, siue bella geramus nunquam sinistros euentus, imo dexteros successus ab illa manu dextera expectaturi: illud

Daui

Dauidicum oraculum proferemus: dextera domini fecit virtutem, dextera domini exaltauit me, non moriar, sed viuam.

Quid ergo sub illius manus auspicijs Lusitanos deterrebit? Quæ viarum longinquitas, qui locus inter prærupta saxa ad iter faciendum impeditissimus, qui montium, aut fluuiorum transitus insuperabilis illorum passus retardabit? Quæ locorum asperitas, quæ incultarum regionum feritas, quæ barbararum gentium immanitas illorum audaciam comprimet, aut impetus propulsabit? Si mare procellis mugiat, vel rupta elementorũ fides in eorum caput coniuret, inter medios fluctus perstabunt impauidi, suamque ad Indos nauigationem, quam aliæ nationes dixerunt insanam, audacter suscipient, & perficient. Solo quippe armorum præsidio, & diuinæ manus subsidio totum orbem peragrarunt, imo, & domuerunt Lusitani, honoris quam pecuniæ cupidiores, vt pote qui propriam existimationem diuitijs præferunt, immodicæ gloriæ sitientes, & singulari dominandi cupiditate inflammati. Nihil profecto nostræ vnquam

nationi erit arduum, nihil imperuium, nihil inconcessum, cui diuinæ manus auxilium præsto est.

Non solam Christi manum refixam vidit Olyssipo, sed aliud magis admirandum, portẽtosumque prodigium apud Indos annis præteritis contigisse audiuimus, atque ab hominibus fide dignis, maximæque auctoritatis, necnon á grauissimis epistolarum monumentis accepimus; quod quidem ad nostram ætatem fuit auspicatum præludium. In ciuitate Goa, quæ est totius Orientis metropolis, cænobium Diuæ Monicæ sub Diui Augustini statutis religiosè colitur, in quo illibatum virginitatis florem cælesti sponso consecrant ex illo regno virgines electissimæ, quæ sacro velo obnuptæ, quá precibus, quá ieiunijs, quá corporis macerationibus Deo vacant, & diuinarum rerum contemplationi intentæ, nullo otio hoc salutis negotium intermittunt. Quidquid ad vitam rectè instituendam puritatis, integritatis, caritatis, fidei, religionis, modestiæ, obedientiæ, paupertatis, cæterarumque virtutum potest conducere, id totum cumulata manu his monialibus á Deo optimo maximo

ximo conceßum est. Ad hoc totius sanctimoniæ, & honestatis sacrarium, non solum egregij duces, sed etiam laboriosis bellorum exercitationibus attriti milites sæpissimè confugiunt, tanquam ad asylum, vt illarum monialium interpositis meritis Deum sibi placatum reddant. In templi structura, quæ non ad modum augusta, est tamen elegans, & perpolita, super ferreas crates non exiguæ latitudinis arcus erigitur, in cuius fastigio sanctissima Iesú Christi ex cruce pendentis effigies cernitur, quam virgines illæ chorum ingredientes vultu ad se cõuerso vidēt, atq ad illud sãctitatis speculũ vitas suas inspiciunt, illud cõsulunt, & in illo cōtēplantur, sint ne interiori forma commendabiles, vel potius suo sponso deformes, atque ita siquid moribus incomptum est, ad illius speculi expressam imaginem comunt, & componunt. Octaua Februarij die anno salutis 1636. & per alios subsequentes dies, in maximo sacrarum virginum conuentu, & quamplurimis ex ciuitate viris ad nouum, atque insolitatum spectaculum cum admiratione adstantibus, ecce redemptoris nostri lignea effigies oculos mortē

clausos atque depressos nunc in omnes circũstantes intendit, nunc fixos, atque immobiles tenet, nunc huc, atque illuc cum benignitate inflectit, nunc etiam cum grauitate remittit, ac si lignum illud inanime, prorsusque insẽsibile, & animam, & sensus gereret. Neque solus oculorum obtutus erat varius, sed in toto vultu inerat vitalis vigor, animusque spirabilis, quo totum corpus, & crux ipsa moueri: pedes, manusque extendi: sanguis ex vulneribus fluere: labia ad voces aperiri: vox ipsa audiri videbatur. Moniales admiratione defixæ vbertim flere, gemere, suspirare, latentes tanti prodigij causas inquirere, crimina per confessionem purgare, cælum precibus onerare, graues in omnium animis cogitationes versari.

Sed cum veritatis inquisitio, atque inuestigatio maximè deceat scriptorem, res est altioris indaginis, quid sibi velit hoc prodigium medullitus perscrutari. Quis neget oculos esse cordis nuntios, iræ, doloris, & amoris indices, in quibus quidquid animo inclusum latet, non sola coniectura, sed certissimis signis deprehendimus? Quis ne-

get

get oculos totius corporis esse speculatores, qui altissimum locum obtinentes, quidquid emolumenti est clarius insequuntur? Liceat igitur ex diuinis oculis desumere felix, & auspicatum nuntium, quod nos manifestis indicijs certos reddat, nostram Lusitaniam á Deo amari, in diuinis oculis gestari, sub Dei tutela, ac munimine versari, singulari prouidentia custodiri, & maiori superum patrocinio defendi, atque obumbrari. Habemus Dei oculos speculatores, qui nostræ defensioni semper inuigilant, & nunquam sopore, aut lassitudine depressi nostris miserijs condolere, nostris infelicitatibus illacrymare solent. Si cætera mundi regna introspicias, hæc homines plerumque habuere conditores: at Lusitania solum Deum conditorem, & instructorem habuit: atque adeo primum Regem Alphonsum parum firma valetudine, & pedibus debilem infantem, Sanctissimæ Virginis MARIÆ protectione, sanitati, firmitatique restitutum memorant nostri annales. Felicia quidem regnandi incunabula, quæ á Dei matre auspiciũ sumũt.

Nouis ergo honorum incrementis, & diuitiarum accessionibus quotidie decorabitur Lusitania, & quæ Deo duce, & auspice nata est, occasum nesciet. Si vero aliquando homines ad interimendam, quam ad conseruandam patriam promptiores, immiti, & inhumano ingenio fuerint, qui Regi, & regno insidias machinentur, nihil Lusitanos exanimatum, nihil interemptum, nihil perditum ibit, qui Dei manum habent auxiliatricem. Vacillanti, & collabenti regno, dominus supponet manum suam *Hæc Dei manus nostri imperij magnitudinem perpetuò stabilire, hæc illius metas extendere, hæc ab imminenti periculorum metu vendicare, hæc ab hostium incursionibus liberare, hæc denique integram, atque illæsam nostri nominis dignitatem poterit conseruare.*

Nec sine felici augurio factum credo, vt semisepultum Lusitaniæ regnum ex tenebris, atque ex interitu vendicetur in die sabbati, quam Brigantini Duces semper faustam, & bene ominatam habuerunt. Si verò ad explorandam huius mysterij profunditatem lineam cum plumbo mittamus, & altiora rerum initia indagemus, quis non videt primos Brigātinæ

tinæ

tinæ familiæ authores Deiparæ Virgini Mariæ, cui inueterata maiorum nostrorum consuetudine dies sabbati sacrata est, multis nominibus fuiße deuinctos, & ab eadem Maria maximis beneficijs cumulatos? Primò enim Nonius Aluares Pereira, vir domi, & militiæ clarus, qui ob suam eximiam fortitudinem, se libris, & famæ loquendum dedit, in die sabbati natus est: atque ideo à teneris pueritiæ annis illum mater adhortata est, vt in toto vitæ decursu sanctissimam ieiunij legem in sabbatis obseruaret. Quam ille consuetudinem fortiter, ac religiose tenuit, neque hanc sibi á suo genio præscriptam legẽ vel confectus senectute, vel morbo impeditus, vel corporis defatigatione, vel animi ægritudine interrupit. Iam verò Ioannes hoc nomine primus Lusitaniæ Rex, primum Brigantinæ gentis fundamentum, incredibile dictu est, qua religione, qua obseruantia, quo studio, atque ardore ueneranдam Dei matrem semper coluerit, sub cuius patrocinio quamplurimas ex hostibus uictorias reportauit. Inter reliqua illud præcipuè memoratur in campis de Aliubarrota commißũ prælium pridie Idus Au-

gusti, quam diem ob festum Aßumptionis postera luce celebrandum ieiunus dux it Ioannes, & viribus nunquam deficientibus, imo acrius instauratis, tam strenue á nostris dimicatum est, vt dies illa fortunata nostram Lusitaniam Castellanorum spolijs onustam, & victrici lauro viderit coronatam. Nec mirum est sub Mariæ præsidio innumeras hostium copias esse profligatas. Si enim præstantissimi ducis præsentia militum animos solet accendere, atque ad Martis ludum ita inflãmare, vt omnes certatim velint difficiliorem in pugna locum occupare, in prima acie certare, hostium muros primi ascendere, præsidium loco deijcere, syluarum latibula inuestigare, viarum aditus explorare, nocturnis insidijs hostes aggredi, durioribus congressibus se opponere; quid de Sanctissima Virgine Maria dicendum est, quæ fortior bellatrix hostilem furorem contundit, atque inter morientium aceruos laureato curru ingrediens, deficientem, & penitus emorientem spem in suis militibus verbis excitat, promissis alit, præmijs corroborat, victorijs firmat. Hac duce, atque auspice, Nonius, & Ioannes inimico-

mico-

micorum impetus sæpissimè compresserunt, & futilem, atque inanem Castellanorum loquacitatem continuerunt, quibus linguæ ventositas, & pedum tarditas nunquam ad fugiendum fuit impedimento. Hac duce, & fautrice, in die Assumptionis Ceptam arcem munitissimam non sine ingenti Maurorum internecione, Lusitano imperio adiunxerunt. Si vero inter hostium cateruas in apertum capitis discrimen adducebâtur, hac voce San cta Maria succurre *per interruptos, atque interturbatos militum ordines volabant impauidi, & magna edita strage euadebant victores. Merito igitur sabbati dies fuit ad regnandum Ioanni auspicatissima, eademque erit aditus ad victorias, necnon quietis, & libertatis initium. Si enim in die Sabbati* requieuit Deus ab omnibus operibus quæ patrauerat, *quis erit tam hebeti, obtusoque ingenio, qui non intelligat nostram Lusitaniam à durissimo laborum iugo illa die esse solutam.*

Lusitanorum cæptis annuere, & obsecundare cælum credimus tot monstrorum, ac prodigiorum manifestis signis, imo claris

deprehensionibus. Illud verò memoratu dignum est, quod sub idem tempus fertur contigisse, virisque sapientibus deliberatum, & constitutum est, id præter naturæ ordinem euenisse, quanuis ipse ob natiuam oculorum debilitatem non potuerim aliquid certum internoscere. Huic tamen spectaculo sæpissimè interfui, & quamplurimos vidi tantæ nouitatis spectatores, qui defixis oculis lunam suspiciebant, & in ipso corpore lunari, quasi in intimo sacrario, sanctissimæ Eucharistiæ pixidem, & hinc inde reuerenter adstantes Angelos dignoscebant, qui illas diuini amoris epulas, illud hominum nectar, illas Ecclesiæ delicias, illum ex cælo demissum panem quá capitis submissione, quá poplitis inflexione venerabantur. Fateor nonnullos fuisse magnæ auctoritatis viros, qui nihil nouum, atque inusitatum in lunæ corpore fuisse affirment, sed ipsam lunam varijs maculis, siue vmbris á natura inspersam, illas intuentiũ oculis imagines obtulisse. Verum cum potior hominum pars id præter naturæ cursum euenisse affirmet, non possum adduci vt credam, aliquam oculorum ludificationem ad commu

nem

nem totius regni errorem potuisse euenire. Quanuis enim vnus, & alter homo ex varia radiorum inflexione falsis imaginibus decipi posset, nunquam tamen credibile est, hanc ad tot hominum millia deceptionem peruasisse, in eos maximè, qui acutis, & perspicacibus luminibus pollent, & in Mathematicis disciplinis non mediocriter sunt versati, omnesque tam stelliferi, quàm lunaris cæli mutationes apprimè callent. Agite nunc humani diuinique archani indagatores, agite portentorum interpretes, agite mirabilium rerum obseruatores, dicite quid sibi velint hæc monstra, quid ferant hæc prodigia, quid denunciēt hæc portenta. An Turcarum vexilla, quæ lunari astro sunt insignita eripiemus, atque ex signiferi manibus extorquebimus? An Maurorū signa, quibus lunæ effigies sunt intextæ, gentilitium Mahometanæ gentis stemma, in Christianorum potestatē aliquando deueniēt, & abiecta illius Sectæ perfidia, verum Deum ac dominum in venerabili Sacramento agnoscent? An proculcata, penitusq; extincta Maurorum, & Turcarum superstitione, sanctissima Christi fides, ac religio promulgabitur? Nō erit

vanus

vanus augur qui ita prædixerit: neque ab hoc scopo longe aberrat multorum hominum præsaga mens. Si igitur lunam interpositu, interiectuque terræ multoties deficientē cernimus, non immerito sperandum est, illam in Turcarum vexillis expressam lunam interposito Eucharistiæ conuiuio defecturam.

Ad hanc auream, & prodigiosam ætatem, quamplurimis per hosce annos portentosis euētibus cælum præludere videbatur: quibus ad maiores curas traductus animus tunc nō intendebat, nunc verò post secundissimos rerū euentus nostram in illis prodigijs felicitatem prædici, & præsagiri credimus. Anno salutis 1632 die sexta Nouembris, in regio, & magnifice extructo cænobio de Alcobaça, cum in sublimioris ædificij frōnte marmoreum primi Alphonsi Regis simulachrum collocaretur, de improuiso, atque in maxima hominū spectantium multitudine, insolitus fulgor ex maritima parte euibratus ab Occidente versus Orientem discurrit, & postquam omnia circum loca longe lateque illustrauit, in ipsius simulachri vertice paulisper commoratur, ibique rarescente paulatim lumine euanescit.

Omnes

Omnes qui aderant dextri ominis loco hoc prodigium vertendum putant, atque inter frigentes Lusitanorum Regum cineres aliquam superesse scintillam, quæ etiam sopita, & semisepulta ad illuminandum terrarum orbem excitaretur. Fax illa ex Occidente ad Orientis fines extenditur, vt Lusitani ad illius fulgoris ductum ab ortu ad occasum rapidissimo cursu commeantem Solem consequantur, & quidquid Sol radijs lustrat, ferro doment. Atque vtinam noui Regis inauguratio occasum nesciat, sed inter senescentem nepotum posteritatem nouo quotidie ortu senium deponat, & instar aquilæ renouetur. Vtinam huius facis ardore ita inflammetur, atque accendatur orbis, vt intimis animorum penetralibus solus ille ignis colluceat, de quo Christus Dominus, ignem veni mittere in terram, quid volo nisi vt accendatur. *Si vero felix fuit augurium, cum flamma molli tactu innoxia Ascanij caput, & crines lambit, non sine feliciori auspicio factum credo, vt in viuum expressam* ALPHONSI *effigiem cælestis ille fulgor contingeret, & supra*

regium

regium caput conquiesceret. Verum si pulchriora sunt animi, quam corporis lineamenta, eo quod animis insint quædam cælestis ignis particulæ, iam nobis hoc experimento cognitum erit, quantum cæteris regnis præstet Lusitania, quæ hũc sydereum, & cælestem ignem bis in suo Rege Alphonso experta est: primo in cãpo de Ourique, secundo in cænobio de Alcobaça. Si quis igitur in vna libræ lance Lusitanæ virtutis magnitudinem posuerit, in altera diuinæ munificentiæ largitatem erga Lusitanos, non difficile reperiet; quantum inter hoc, & cætera mundi regna sit interuallum. Neque enim vna tantum, sed multiplici diuinæ sapientiæ lima fuit tersum, & expolitum hoc regnum. Siue etenim illius infantiam, siue pueritiam, siue adultam iam ætatem, siue ad senectam inclinantes vires contempleris, Deum illi præsentius assistentem agnosces.

Hic Lusitanæ captiuitatis exitus fuit, imo ad libertatem aditus felicissimus. Cum enim Lusitani gloriæ appetentes, & laudis auidi semper fuerimus, inique, & peracerbè ferebamus non deleri illam maculam, quæ nostro in nomine penitus iam insederat, atq;

inuete-

inueterauerat, diutina, & satis laboriosa sexaginta annorum captiuitate; essetque extremæ dementiæ si pro fortitudine patiētiam, pro clamore silentium, & taciturnitatē exhiberemus, & tanquam inulti pueri in medijs contumelijs daremus lacrymas, aut more fæminarum solis vocibus fieret decertatio. Sũmum in discrimen vocabatur omnium salus, omnium fortuna, omnium res familiaris, & tamen hæc imminentis periculi magnitudo esset diu dissimulanda? In peius, atque in deterius vergebat florentissimum Lusitanorũ imperium, & tamen formidine concussi taceremus? Tumultuosis hinc inde laborum, & calamitatum fluctibus nostra cymba fluctuare, imo iam immergi, & ad totius infelicitatis scopulos allidi videbatur, & tamen miserandum naufragium siccis oculis spectaremus? Nescit profecto latebris occultari Lusitana fortitudo, sed emergit, atque in forensem lucē prodit. Nescit ignis diu latere, sed suo fulgore proditur. Nescit ventorum inquieta rabies, & effrænis indignatio terræ visceribus diu cōmorari, sed magno cum murmure impatienter fremunt, sæuiunt, debacchantur. Quales

canes

canes interdiu clausi noctu acriores, & vigilantiores sunt, & quales leones in vinculis detenti terribiliores edunt rugitus: tales Lusitani ex hac diuturna captiuitate prodeunt acriores, & asperiores. Fames ex longo collecta acrius plerumque stimulat, & supplicij tarditas maiori grauitate compensatur. Clau do nonnunquam pede incedit vindicta, & ex improuiso adest pro foribus. Diu potuimus dissimulare, sed non diu perferre, & sustinere, quin aliquando recrudesceret sopcratus dolor. Quæ opprobria, quas irrisiones, quæ ludibria, quas omnium bonorum iacturas, quæ pace belloque incommoda, quas terra, marique iactationes, quas tributorum grauissimas impositiones, quæ infortunia, quas omnium malorum complexiones nō experti sumus Lusitani sub Philippo? Non solum in finitimis Europæ locis, sed etiam in disiunctissimis, maximeque diuersis Asiæ, & Africæ regionibus quotidie vexabamur; quique olim exteris nationibus terrori fuimus, nunc eramus opprobrio. Quis ergo seruus non clamet inter verbera? Quis tortoris sæuitiem non execretur? Quis non doleat, & vociferetur inter plagas? Quis

taceat

taceat inter compedes ? Quis in vinculis non indignetur, & prorumpat in iracundiam? Sub Rege Pharaone satis molestè, & periniquè ferebant Hebræi suæ seruitutis iugum, nec tamen ad detrectandum, & abijciendum suppetebant vires, donec vidit Dominus afflictionem populi sui in Ægypto, & clamorem eius audiuit, propter duritiam eorum, qui præsunt operibus. In paupertate, atque inopia nihil ignominiæ est, hæc enim cedunt arbitrio fortunæ: at seruile nomen maximè est ignominiosum, nihilque libertate nobilius, aut pretiosius habetur.

Nullum præterea est tam calamitosum vitæ genus, cui non sit aliquod oblectamentum, & alternantis voluptatis remissio, qua seueriores curæ castigari, & solicitudinis impetus reprimi, aut retardari possint: si tamē adimas libertatem, voluptas fit acerbitas, & ipsum oblectamentum vertitur in cruciamentum. Hinc apud Daniam vincula adeo sunt probrosa, vt potius mori velint, quā in vinculis, & custodia viuentes detineri: tolerabilius rati fatū, quod cōmunis hominū conditio admittit, quam quod seruile supplicium exi-

gis. Mors etenim vno ictu omnes tā animi, quā corporis morbos depellit, curas abstergit, dissipat solicitudines mærorē fugat, calamitatibus medetur. At in vinculis. & in seruitute cura, solicitudo, mæror, calamitas, & ærumnæ placidissimum corporis, & mentis statum turbant, semperque finis alterius mali est gradus ad futurum. Cuius rei locupletissimum testimoniū protulit Ioannes Galliæ Rex, qui ab Odoardo Angliæ Rege in prælio superatus, & captus fuit. Cum enim parta victoria quá theatralibus ludis, quá spectaculorum varietate, quá festiuis applaudentium iocis, quá equestri certamine celebraretur, Ioannes animo, vultuq; subtristi, oculis ad terram demissis, & nullū iucunditatis signum præ se ferens, his ludis intererat spectator. Tunc Odoardus (quo nullus ad omnes iocos lepidior, nullus ad facetiarum sales erat venustior, atque hilarior) vt suo captiuo illuderet, vel vt obductam cicatricem refricaret, per iocum dixit ad Ioannem. Cur inter tot hominum exultantium plausus non promis aliquod lætitiæ signum? Tunc Ioannes quomodo *inquit*, cantabimus in terra aliena? *Cum libertate risum,*

& vo-

& voluptatem perdidimus nostræ vitæ delectationem, & miseriarum leuamentum. Quæ igitur doloris attenuatio, quod curarum lenimen, quæ ægritudinis leuatio poterit ex his spectaculis prouenire homini captiuo? Talis erat Lusitaniæ species quandiu sub acerbissimo Philippi iugo duram seruiuit seruitutē.

At quàm sera fuit hæc libertas! Quam tardo, & testudineo gradu ad nos accessit? Respexit tamen, & longo post tempore venit. *Ego sanè ineuitabili, & prorsus inscrutabili diuinæ prouidentiæ consilio factum puto, vt nostrum regnum florentissimum ad exterorū Regum manus deueniret, in illisque diutissimê commoraretur, vt vel ita à Deo flagellati resipisceremus, & ad meliorem vitæ rationem corruptissimi mores adducerētur. Deus enim iniuriosis hominum vitijs lacessitus, & multis offensionibus prouocatus, dat regna, adimitque, vt omnem humani imperij volubilitatem, ac vicissitudinem ex diuina trutina pendentem intelligamus. Dei nutu stant, & cadunt regna. Ipse nostram Lusitaniam rebus suis diffidentem confirmauit, afflictam erexit, cadentem tenuit, perditam re-*

creauit. Ipse Ioannem patrio, & auito regno spoliatum, maiorum suorum solio, sceptroque restituit, qui nos non modo à calamitate, sed etiam à metu calamitatis defendit. Ipse animos, viresque sufficiet, vt omni studio ad patriæ defensionem incumbamus, & omni virium contentione pro gloria nominis Lusitani, pro sociorum salute, pro fortunis omnium ciuium decertemus. Atque vtinam nulla fatorum vi, nullo aduersantis fortunæ motu, labefactatum regnum concidat, quod tanto partum sanguine, tanto maximorum ducum sudore, & labore conseruatum, nouis quotidie gloriæ incrementis, & victoriarum accessionibus ad nostram vsque ætatem perennauit, quanuis hæc felicitatum linea per sexaginta annos sub aheneo Philipporum iugo fuerit interrupta. Sed iam exonerata ceruix nos iubet bene sperare. Quæ ne langueat, aut titubet spes, eam satis superque muniuit, & confirmauit illa seruatoris nostri Iesú Christi ex cruce pendentis ad Alphonsum Regem vox dulcissima: in te, & in semine tuo imperiũ mihi perpetuum volo stabilire, vt desera tur nomen meum ad exterass nationes.

En Lusitániæ imperium non trabali tantum sed adamantino clauo fixum, immotumque cum ipsa immortalitate nullis poterit terminis circumscribi. En nostra Portugallia diuinæ promissionis subsidio, ac præsidio munitissima. En cæ lestis fidei præcones, en alterum vas electionis ex Lusitanis assumitur, qualis Paulus ex Hebræis, vt ex omni aditu clausa olim maria nostris nauibus patefacta, ad vltimas Orientis oras viam muniant, & sternant.

Finis Libri Quarti.



ARGVMENTVM
In Librum Quintum.

Sub auspicijs IOANNIS quarti militaris ardor reuixit in Lusitanis quornm res bello gestæ,& præclara facinora memorantur, vel potius prælibantur.

LIBER QVINTVS



"M diuinæ munificentiæ largitas non vno tantum, sed multiplici beneficiorum genere in Lusitanos diffusa sit, operæpretium duxi, Lusitanorum felicitates sigillatim recensere, ne vel temporis decursu cōsenescant, vel obliuione conterantur, vel aliqua obscuritate, & ambiguitate inuoluantur. Calamo quippe scriptorum viuit bellantiū robur, & atramento comparatur immortalitas.

Per hosce dies reuixit militaris vigor, qui longo iam otio, ac desidia torpescebat. Quemadmodum enim vt fortior sit senecta, ætasque virilis, multum interest adolescentiam, iuuētutem, imo, & pueritiam Martijs laboribus esse eruditam, ita armorum desuetudine feroces

roces

roces militum animi ſæpiſſimè emolliuntur. Poſt noui Regis creationem, nullum corpus quanuis ſenectute inualidum, aut inualetudine infirmum abſtinet á laborioſis armorum exercitationibus, in quibus nititur regni incolumitas. Vidi ego ſuperioribus diebus ſenem nonagenario proximum, membris æuo tremẽtibus, greſſuque titubante, mira tamen alacritate feruidum, ad reprimendos inimicorũ incurſus feſtinantem, ac ſi corpus nulla defatigatione ingraueſceret, imo ſpiritus promptior atque robuſtior armorum pondere leuaretur. Ipſa ſenis facies non ſolum ingenuitatem, ſed bellicum ardorem præ ſe ferebat, in illaque iam corrugata, & cadaueroſa facie vigor inſolitus enitebat. Cum Ioanne enim repullulant amiſſæ vires, & ætas iam frigeſcens recaleſcit. In illo ſene mihi in mentem venit fortiſſimus Caleb promiſſæ terræ explorator, cuius hæc ſunt verba ad Ioſue: hodie octogintaquinque annorum ſum, ſic valens vt eo valebam tempore, quando ad explorandum miſſus ſum: illius in me tẽporis fortitudo vſque hodie perſeuerat. *Nihil mirum ſi ætatis maturitas ſit pruden-*

 tiæ

tiæ mater: at in ætate matura, imo decrepita, tam incredibilem videre fortitudinem, id profecto ad portentum accedit. Nam sicut matura, & cocta poma ex arboribus sponte decidũt, cruda vero, atque acerba vi auelluntur, ita longæui senes nimia vetustate consumptas vires, omneque tum animi, tum corporis robur habent debilitatum. At sub nouo Rege, nullum est infirmioris ætatis damnũ pertimescendum. Ipsam morosæ senectutis tarditatem in alacritatem conuerti videmus, puerorum infirmitatem commutari in firmitatem, fæminarum imbelles manus ad bella accingi, nullos equites desidia marcescere, nullos pedites ignauia torpere, nullos duces lãguere inertia. nullos tyrones ad sanguinis aspectum expallescere, nullos veteranos in acie deficere, omnem sexum, atque ætatem pro libertatis defensione, manibus, pedibusque obnixè persistere. Quemadmodum ij qui graui laborant ægitudine, & febrem nunquam intermittentem patiuntur, morbo vires amittunt, sed postquam morbum depulerint, facile illas reuocant: ita Lusitani quandiu in regni venas, ac medullas miserrima serui-

tutis

tutis tabes graßata est, viribus destituti torpescebant, at nunc depulso morbo, & excusso iugo conualescunt, & reficiuntur.

Feruet in Lusitaniæ finibus intestinum, ac domesticum bellum, æquè Lusitanis, & Castellanis insidiosum: at inter bellicos armorum strepitus feruidior in Lusitanis ardor, & militaris virtus enitescit, quibus non minori curæ est præsens periculum vitare, quam impendẽs præcauere. Castellanos tenues, atq; egentes sola spes rapinæ in bellum trahit, vt sumptuosius, atque insolentius viuant: at Lusitanos Regis, & patriæ amor in hostem rapit. Illos inuitos, & magis suppliciorum timori, quam Regis voluntati obsequentes, quotidie videmus Euro fugaciores aciem deserere, & pedibus, non lacertis salutem quærere: hos vero spontaneos, & Regis amore incitatos in acie persistere, fortiter dimicare, gloriosè occumbere. Illos maior bene nummati marsupij cura, quam militaris ardor accendit: hos non prædæ studium, non rapinæ desiderium, sed sola nominis, & rerum gestarũ celebritas inflammat. Quia vero præclara hominum facinora non

ſatis eſt fama celebrari, ad exigui temporis vſuram, ſed poſteritati ad imitationem relinqui, & annalium monumentis, atque immortalitati mandari debent, nos ſummis tantum labris ea prælibabimus, quæ per hoſce duos annos á Luſitanis viriliter geſta ſunt.

In prouincia Tranſtagana leuioris armaturæ milites in bellicis excurſionibus tam ſtrenue ſe geſſerunt, vt ventoſos Caſtellanorũ impetus quám ſæpiſſimè eluſerint. Teſtor ciuitatem Eluas, teſtor fluuium Guadianam, qui noſtros milites acerrimè decertantes, Hiſpanũque equitatum velut lymphatico pauore diſſipatum vidit, ac noſtros luſitanos inſtar marini æſtus nunc accedere victores, nunc recedere cum ſpolijs. Quod cum hoſtes moleſtiſſime ferrent, nihil iam aperto prælio audent, ſed aliud belli genus meditantur, quanuis minus honeſtum, &glorioſum, magis tamen ſecurum. Montium, & ſyluarum latibula armati ingrediuntur, inter frondium, ac ramorum opacitatem diu latent: inde omnes aditus exituſque explorant, vt optimam nacti occaſionem ad inuadendum, ex illis latebris

ſu-

ſubito emergant, & pro virtute vtantur dolo. Cum verò decem equites Luſitani iuxta Guadianam ad explorandum campum prodirent, ex improuiſo, atque ab inſidijs erumpunt tercenti equites Caſtellani, qui hoſtili odio, teliſque infeſtis noſtros hinc inde cingũt, mutuis vulneribus petunt, vtrinque pertinaciter, & obſtinate confligitur, donec ex noſtris ſeptem, cum iam defatigati equi vix poſſent ſine prolapſione inſiſtere, quá laſſitudine, quá hoſtium multitudine preſſi, imo obruti capiu n tur. Hos inter Roquius Antunes viribus, & ætate validior, qui tamen ob equi pernicitatem hoſtium turmas poſſet illæſus euadere, cum ſe ab illis circumuentum, & ſtrictis muc ronibus vndiq; appetitum videret, nullo metu perculſus, imo potius animo inconcuſſus, vultuque imperterritus in pugna perſiſtit, nec prius deficit quám corpus vulneribus confoſſum ſanguis, vireſque deficerent. Hanc ſtrenuiſſimi viri audaciam manifeſto compertam, atque deprehenſam hoſtis amabat, & demira batur, neque illum inter arma obire, ſed ex armis ad ſe recipere, & ſuorum militum numero adſcribere volebat, hac ſolum lege, vt

ſemel

ſemel inclamaret, Viuat Rex Philippus. *Quod nomen ſibi inamabile, atque execrabile Roquius cum irriſione excipiens ſemel atque iterum repetebat: Viuat Rex Ioannes, cuius mihi nomen mellitum, & iucundiſſimum eſt, ac dum morienti grauiores inſtant curæ illius recordatio eſt dulciſſima: & multo libentius amplectar mori pro Ioanne, quam viuere cum Philippo, á quo fateor meam voluntatem ſemper fuiſſe alienatam. Eritque facilius mare cælo miſceri, aquam ignibus confundi, terram Oceano ſupernatare, omnium elementorum ordinem inuerti, quam me Ioanni fide, & amore adſtrictum ad Philippi ſigna conferri. In hac voce extrema vir præſtantiſſimus è vita deceſſit.*

Regio igitur Tranſtagana (quam non minus robuſtiſſimorum virorum, quam rei frumentariæ feraciſſimam nemo prudens inſiciabitur) quamplurimas hac tempeſtate neque cruentas, neque luctuoſas victorias, vel vnius militis amiſſione á Caſtellanis reportauit. Verno tempore, cum floribus tanquam gemmis pinguntur, & veſtiuntur prata, vidimus eoſdem flores hoſtili ſanguine inſperſos, plus

habere

habere ruboris, quam candoris. Didacus de Mesquita cui par generis, & fortitudinis decor, vir non minori equitandi, quam bellandi peritia, cum ex hostibus quatuordecim equitũ turmam obuiam haberet, solutis nõ ad fugã, sed ad pugnam habenis, in consertissimos hostes incurrit, acriter instat, maxima vi vndique certatur, solus multorum impetum, & incursionem sustinet, qua telis, qua ænearum fistularum displosionibus petitur, & inter pulueris tormentarij fumantem nubem victor euaderet, si equum pugnæ socium haberet. Verum equus ferrea glande percussus ad terram labitur, & super ipsum equitem humi procumbentem agglomeratur hostis, ictus ingeminat, quos Mesquita nunc audacter repellit, nunc viriliter declinat, non tamen plagarum vim omnino potuit subterfugere, qui á fronte, á tergo, á lateribus petebatur. Capiti altè illatum vulnus, & manus ferro leuiter est prælibata, nec non ex mutuo conflictu fractum, & debilitatum corpus. Hoc ex luctamine integris, atque illæsis viribus euadere difficilimum erat: neque

~~Neque~~

Neque profecto ex tam crebris vulneribus viuus emergeret, nisi Ferdinandus Mesquita germanus frater auxilio præsto esset, qui collabentem fratrem, & neci iam destinatum eripuit. At quales celeri meatu in aere discurrunt aues, fugiuntque insequentem accipitrē, tales Iberi, alas quas timor dederat, fugæ expediunt, neque manibus, sed pedibus salutem quærunt. Quos inter nonnulli strenuissimi milites, aut in prælio capti, aut grauiter vulnerati discesserunt.

Se quotidie in peius ruere agnoscebant Castellani, & tamen quæ ingrauescenti malo adhibenda esset medicina, ipsi etiam prudentiores ignorabant. Militiæ præfectis non ita facilis erat deliberatio. Rem maturissime iudicandam affirmabant omnes, sed nullus satis consulto prouidebat. Non idem Marti, & Veneri remedium est. Si enim amori conciliando prosunt amatoria medicamenta, non ita ad bellorum felicitatem prosunt herbæ, aut incantationes. Venus blanditijs, precibus, muneribus concilianda: at Mauors nunc virtute, nunc dolo dominatur. Quicunque in bello meditatas insidias non possunt virtute ef-

fugere

fugere, dolo ſaltem effugiant. Nam quemadmodum veteres olim Philoſophi auream mediocritatem in boni, malique confinio poſitam eſſe affirmabant, ita bellorum ſucceſſus inter dolum, & virtutem poſitos iudicabant. Virtus igitur pro Luſitanis, pro Caſtellanis pugnat dolus. Cuius rei teſtimonium in medium iam proferamus. In vberrima prouincia Transtagana, tempore æſtiuo, magna eſt meſſorum copia conductitia, qui ad quærendum victum confluunt ex toto regno, & in metendo nauāt operam mercenariam. Hos deſpoſitis armis in campo diſperſos, & quá æſtu, quá labore fatigatos ex inſidijs adorti Caſtellani. Meſſoribus ſubitó intumeſcit bilis, & cum nihil armorum eſſet præter falcem meſſoriam, & cultros ex cingulo appenſos, inter frumentarios manipulos certamen haud recuſant. Quanuis ergo diſparibus armis vtrinque pugnaretur, Caſtellanos metu diſſipatos, & in agris palantes noſtri inſequuntur, & paſſim cædunt. Videres Caſtellanos ante pugnam nimia loquacitate, impudentiaque verboſos, & dicenda, & tacenda loqui: ſed poſt pugnam mutos, ac taciturnos immodicæ garrulitatis pænas

luere

luere. Quid ſi gladijs, non vero falcibus, & cultris res ageretur? Omnes ad ſolam ferri ſuſpicionem expalleſcerent, atq; obmuteſcerent. Quid ſi cum hominibus bello expertis, non vero cum meſſoribus, & militiæ rudibus agricolis pugna iniretur? Hos vt pote inexpertos ſæuius vrget timor: at in ijs qui bellorum ſunt experti, ipſa bellandi aſſiduitas periculorum contemptum facit. Hinc ſit, vt ad leuiſſimi vulneris aſpectum tyrones in bello deſiciant, at milites veterani cruorem ſuum ſpectent imperterriti: ipſa etenim laborum experientia labores mitigat.

Luſitanos ſub Philippo nimia armorum deſuetudine torpeſcentes, velut in mari lento iners languor, & deſidia tenebat: at modo ſub Ioanne ipſi etiam homines inurbani, totius ruſticitatis, ac feritatis domicilium, Martio ludo non exercentur modo, ſed delectantur. Nec ſolos viros accendit hoc militandi ſtudium, ſed etiam fæminas tenet, quæ ſexu fragiliores, & imbecilliores ſunt. In oppido Oliuença fuit per hoſce dies quædam fæmina ruſticana ætate integra, facie liberali, viribus pollens, nõ effæminata, ſed maſcula fortitudine quæ vi-

rilem

rilem sexum non vultu, sed corde mentiebatur. Hanc dato signo armis cinctam, thorace, & casside obarmatam, equo viriliter insidentem, in campum prodire, manus conserere, æneam fistulam displodere, hostem fortiter insectari, omnia bellicosi adolescentis munia præstantissimè obire, & quoties datum signũ, & ad arma conclamatum est, toties illam instar fulminis vidimus prorumpentem. Quæ vnquam inter Amazonidum cohortes fuit robustior Penthesilea, quæ fortior Camilla ob præclara rei militaris facinora immortalius, & gloriosius nomen consecuta est dum illatas patriæ iniurias manu, & ferro hostiliter vindicauit? Si primus Ioannes Lusitaniæ Rex furnariam vultu terribilem, ore trucem, lacertis validam, corporis habitu metuendam in campis de Aliubarrota habuit auxiliatricem, bellique, & victoriæ sociam, quæ septem Iberos vna pala interemit: IOANNES quartus longè fortunatior hanc habet armatam Palladem, quam non inter lucubrantes ancillas lanæ deditã, sed inter belligeras turmas ænea armorũ luce fulgidã, nõ gregarijs

tantum, sed ipsis veteranis militibus superiorem videmus.

Iberi non quidem magno exercitu comparato, sed nunc prædatoria manu, nunc exiguo equitatu multa Lusitaniæ loca hostiliter accedere, pagos, domosque incendere, agros vastare, ex pecoribus prædas capere, messes comburere, syluas succidere, agricolis terrorem augere solebant. Verum id damnum non impune tulimus, imo potius eò vindictæ processum est, vt damnum damno satis superque fuerit compensatum, neque ulla vnquam dies omnino lætam, aut incruentam victoriam illis cōcesserit. Lusitaniæ agri albent ossibus Castellanorum, nullæque vel in montibus eminentes, vel in vallibus sunt partes lacunosæ illorum sanguine, & cadaueribus non repletæ. Hominem testor in rebus serijs seuerum, in iocosis lepidum, & venustum Ioannem Doningues Gastão, cui ob innumeras Iberorum cædes, materna lingua cognomen est, matta Castelhanos, latinè Castellanorum occisor Hunc æque viribus, & natalibus clarum, sibi non minus formidabilem, quam exitialem sæpissimè experti sunt Castellani. Cum enim semel ex

mel ex nostris finibus prædas agerent, & iam furto potirentur, Ioannes Domingues rei fa ctus certior quam citissimè accurrit, & traiecto flumine de Oliuença, illis præda exultantibus fit obuius, omnes vnus inuadit, & ferro partim cædit, partim relicta præda in fugam vertit. Nec soli pedites, sed etiam equites huius viri manu vitam sibi ereptam dolent. Nam cum eminentiores iugi partes centum equites occuparent, neque multo loci interuallo distarent ab oppido Oliuença, Ioanni á longe prospicienti bilis intumuit, & furoris impatiens (quanuis nemo crederet illum ex tanto hostium numero incolumem emersurũ) cum triginta equitibus hostes inuadit, qui fugam morte turpiorem haud abominantes, locum deserunt. Honestius quidem foret pugnando occumbere, quam fugiendo cedere, maximè vbi tam dispar pugnantium erat numerus.

Dictu, & memoratu incredibile est, quam exigua sæpe manu innumeras hostium copias fuderint Lusitani. Si enim non maleuolis inuidorum sermonibus, sed nudæ, atque apertæ veritati credendum sit, mira est rerum ge-

ſtarum magnitudo, ex quibus conceptus dolor hoſtiles animos quotidie accendit, & ad vindictam acrius ſtimulat. Poſtridie Calendas Nouembris in oppido Alfaiates prouinciæ Beirenſis, vidimus infeſtis ſignis Luſitanam, & Iberam aciem concurrere, magna vi vtrinque decertari, quá telis, quá æneis fiſtulis, quá gladijs rem geri, & támen confecto prælio ſeptuaginta hoſtium cadauera reperta ſunt, ex noſtris vero ne vnus quidem miles fuit deſideratus. Quod eſt eo magis mirandum, quó minor erat noſtrorum numerus. In hoſtibus enim quingenti equites, & quadringenti pedites, quorum veterani, & expeditiores in prima acie verſabantur; at ex noſtris nonniſi ducenti, tyrones ferme numerabantur, paucis exceptis, qui in prima acie collocati, priſtinæ virtutis memores, egregium ſui ſpecimen edidere. Horum nullus vel exiguum corpore accepit vulnus: vnius tantum militis ſiniſtrum femur glans ferrea leuiſſime perſtrinxit. Tantus vero terror ex hac clade ad intimas Hiſpaniæ prouincias perlatus eſt, vt iam ad oppidum Madriti crederent aduerſis ſignis hoſtem eſſe venturum.

Hæc

Hæc inter quis non fatebitur Deum Lusitani regni fautorem, atque adiutorem, qui nos custodit tanquam pupillam oculi sui? Nam si natura membranis tenuissimis oculos vestiuit, ac sepsit, eosdemque palpebrarum, & ciliorum muro inclusit, ne vel leuissimum nocumentum pupillis eueniret; quis non dicet Lusitanos plusquam adamantino diuinæ protectionis muro esse obuallatos, quo inimicorum impetus infringantur, & omnia telorum genera propulsentur? Quid post hominum memoriam dici, aut memorari poterit gloriosius? Quid maius, aut portentosius de Iosue, & de Gedeone referunt sacri annales? Hi parua manu innumerabiles gentium turmas neci dederunt: Lusitani exigui numero ex magna hominum multitudine collectum exercitum multoties profligarunt. Sit ergo Lusitania neminem metuens, & omnibus nationibus metuenda, quæ Deum habet defensorem, & propugnatorem. Ab armis discedat Philippus, intelligatq; sibi neq; iure, neque bello cum Ioanne disceptandũ, cui tã præsens adest Dei numen. Nos vero in maximam spem adducamur, regnum diuina ope recuperatum

Quid enim altum sine diuino auxilio mens humana vel inchoare, vel perficere potest? Quid prodest vineas, turres, machinas, arietes ad expugnandas vrbes parare, quid mœnia vallo, & fossa circumdare, quid turres præsidijs firmare, quid suos milites hortando ad virtutem arrigere, quid bellantibus modo præmia, modo formidinem ostentare, si inter bellicos apparatus auxiliantis Dei manus desideretur? Omnes hominum conatus incassum abeunt, si Dei munimine destituantur. Nihil aut inuito, aut non fauente cælo, feliciter tentandum est. Adsit exercitus ex omni virorũ flore collectus, adsit dux in periculis firmissimus, contra insidias vigilantissimus, famis, sitis, algoris, & laborum patiẽtissimus, in parãdis rebus ad bellum necessarijs prouidentissimus, in congressu, & conflictu acerrimus, in exploranda bellandi occasione prudentissimus, in eludenda hostium calliditate sagacissimus, omnibus denique imperatorijs virtutibus ornatissimus, quid hæc omnia iuuabũt ornamenta, si desit Dei manus, sine qua omnes humanæ vires breui dillabuntur, & leuissimo flatu instar fumi dissipantur? Armis ol-

fessa

ſeſſa Bethulia tenebatur, incertumque ferro an ſiti acrius vrgeretur: omnis enim populus ob inciſos aquæductus aquæ penuria laborabat, & præ nimia ſitis impatientia deditionem meditabatur. Interim Holophernes ab oppugnatione non deſiſtit, ſperans ſe incruento veſtigio intra vrbis muros admittendum eſſe victorem. Sed quæ apud Deum immortalem rerum humanarum cura eſt, in manu imbellis, atque inermis fœminæ ventoſam Holophernis ſuperbiam depreſſit, omneſque Aſſyriorum copias profligauit, qui metu perculſi, fœda fuga, & abiectis armis campum deſeruere.

Hoc diuinæ protectionis munimento obarmati Luſitani in aciem audentiores deſcendunt; per hoſtium munitiones volant impigri; inter ferrum, & ignem diſcurrunt impauidi; nec mortem, nec vulnera, mortis comitatus, timent: & ab omni periculorum ſuſpicione alienatis animis in hoſtem rapiũtur. Vidimus prope Minium fluuium, non procul ab oppidulo Lamas de Mouro *Luſitanorũ facinus æq; temerarium, atque incredibile. Hoſtis qua loci opportunitate, qua vallis, qua aggeribus,*

qua fossis munitissimis, neque capi, neque facile obsideri poterat. Milites Lusitani nulla difficultate perterriti acerrime persistebant, huc illuc armati discurrebant, omnia inuadendi loca, & tempora explorabant, mox vbi res postularet hostem inuasuri. Hæc temeritas nonnullis culpanda videbatur, & se consultius facturos, si ab incepto desisterent, neq; hostem vndequaque munitum aggrederentur, quod sine magna nostrorum militem internecione fieri vix posse credebant. Erat enim apertus campus, nulla interposita syluarum vmbra, nullum clypeorum operimentum, leuis pugnantium armatura, neq; sine ingenti clade glandes ferreæ aduerso pectore erant excipiendæ. Harum rerum consideratio posset non immerito audacissimos quosque deterrere. Verum omnium ducum consensu, milites ex improuiso ruunt vnanimes, & inter pulueris tormentarij nubes plumbo commistas illæsi omnes euadunt, hostem deturbant, aggeres demoliuntur, prædam capiunt, & in fugam versos insequuntur. Ac nisi præda, & mortuorum spolia nostros milites remorarentur, esset magnum, & memorabile facinus il-

lius

lius diei, Qua in re nō alios, quam ipsos hostes luculentos testes appello, qui cum fateantur in nostro exercitu quamplurimos esse rerum bellicarum insolitos, & non tam belli, quam agri, & pecoris cultores, non possunt non mirari incredibilem in bellándo felicitatem: adeo vt affirment Deum Lusitaniæ partes agere, nostrumque regnum ex paruis initijs ad sūmum fastigium imperij deuenturum. O fortunatam Lusitaniam, quæ á solo Deo tuum habes incrementum, instar lunæ, quæ solaribus inçensa radijs menstruo spatio suam complet lustrationem, & quidquid luminis habet á sole mutuatur.

Annis superioribus indignabamur ad bellicas expeditiones mitti, quia iniustæ dominationis satietas nos tenebat; at nunc ad bellum vocamur quotidie, & tamen nemo dolet aut indignatur, imo nihil nobis felicius cadere poterit, quam ex proiectis hostium cadaueribus gradum facere ad pugnandum. Atq; eó libentius decertamus, quo manifestius intelligimus, Deum nostris flagitijs olim infensum, nunc stare pro Lusitanis. Iam læsæ diuinæ maiestatis ira est mansuetior.

Iam non iniquis, ſed æquis oculis nos reſpexit, qui vt nos illæſos ſeruet, ſe inimicorum ictibus murum æneum opponit. Neque enim tam felices armorum euentus fortunæ caſibus, ſed Dei regentis arbitrio tribuemus.

In oppido Oliuença quamplurimi erant bellatores, qui ad oppidanorum defenſionem ſummo ſtudio adnitebantur, atque ad omnes gerendi belli occaſiones induſtriam uiriliter intendebant. Hos inter D. Emmanuel de Souſa non eminus, ſed cominus pugnandi auidior, cũ hoſtem ab arce Diui Petri longo interuallo diſtantem videret, mox iubet tympaniſtæ, vt pulſu concitatiore hoſtem prouocet, quo propius accedat ad certamen. Dictis paruit tympaniſta, & feruidioribus tympani ictibus ad hoſtiles turmas conuerſus, non ſolum acriori ſono, ſed totius corporis motu, & incompoſitis manuum, ac pedum geſticulationibus hoſtem irritare, & accendere cæpit. Ex improuiſo volat glans plumbea, & ſaltantis tympaniſtæ labrum ſuperius tam leuiter perforauit, vt neq; ſummos dentes læſerit, aut comminuerit. Quã glandem ille expuens, in genua prouolutus grates Deo ſoluit. Mox idem Emmanuel de

Souſa

Sousa præ nimia æstus, & sitis impatientia á quodam eremita aquam petit, qua ardorē releuaret. Dum sitienti frigidam offert eremita, illius fronti plumbeus globulus impactus nihil damni infert, imo plumbi massa cōtusa, & quasi in bracteam extensa in terram decidit, non sine magno spectantiū stupore. Quis vero non mirabitur molli, & flexibili carni ferrum, ac plumbum cedere? Non ex carne, & ossibus compacta, sed ex rigido adamante solidata sunt Lusitanorum corpora. Hanc illis duritiem non quidem á natura, sed ab ipso naturæ auctore, & conditore fatemur attributā, qui mutato rerum ordine, plumbum reddit carne mollius, atque fragilius.

Non abs re sapientissimus Lycurgus affirmauit, duces, & militiæ præfectos ceruici esse similes. Nam qualis natura ex ossibus orbiculatim vertebratis ceruicem finxit, eandemq; capiti supposuit, vt oculi essent ad circumspectum faciliores, & modo huc, modo illuc flecterentur. tales in militia imperatores, tales duces, & peritissimi castrorum metatores, vt hostium incursiones facile eludant, omnes insidiarum aditus, & exitus circumspiciant, atq;

instar

instar, ceruicis eminentiori loco positi ad omnes dolos excubent, vt non solum prædam, sed etiam fugam, & commeatus hostibus intercludant. Hanc in ducibus, & in militibus præsidiarijs, qui ad Minij ripas, in Lusitaniæ, & Gallæciæ limitibus ad regni defensionem sũt constituti, vigilantiam experti sumus. Quanuis enim Gallæci sordidi, & inculti ferme habẽtur, sæpe sub illo sordido palliolo multum latet fraudulentiæ, & astutiæ militaris. At Lusitano robori nihil imperuium, aut inaccessum est: æque dolos latentes, & patentes insidias ferro domant. Oppidũ Saluaterra quam citatissimo possunt agmine nostri milites aggrediuntur, tantaque oppidanos formido inuasit, vt, paucis ad defensionem intentis, cæteri Lusitanorum armis circumclusi, non qua dimicarent, sed qua erumperent, locum quæsierint. Nobis incruenta, hostibus luctuosa stetit pugna: quamplurimi enim ferro occuberunt, alios ad euadendum iuuit celeritas, quæ vrgẽtibus malis vnicum est asylum. Sed ne ex illo oppido ad nostros fines latrocinijs, & incendijs infestandos aliquando hostis erumperet, quamplurimæ solo æquantur

domus

domus, illisque solum pepercit ferrum, quibus ad defensionem munitissimis nostri milites cōtinētur. Facile quidem foret nostrum exercitum ad perdomandam Gallæciam circumduci, ātque ab huius oppidi expugnatione ad alias vrbes maiori conatu ferri. Verum tempori, & occasioni cedendum erat. Optimi enim ducis est æque ferro, & consilio dimicare.

Paucis mensibus interiectis, Gallæci quibus ex illo damno crudior ira, & ardentius vindictæ desideriū animo iam exarserat, ex quinque hominum millibus conflatam manū colligunt, & nostros nihil tale opinantes ex improuiso adoriuntur, vt illos in oppido Saluaterra incautos opprimerent. Nostri milites præsidiarij numero erant exigui, at fortitudine maximi. qui cum magnum, & difficile certamen illa nocte sibi ineundum viderent (est enim periculosa paucorū cum multis cōflictio) armati vallos circumeunt, & hostem muris propinquantem viriliter propulsant: neque puncto temporis á prælio cessatum est, donec auroræ ortus armorum litem diremit, hostesque non sine ingenti cæde in fugam vertit. Postero die Gallæcis exitiosior pugnæ euen-

tus

tus fuit: primo enim concursu res Lusitana adeo superior euasit, vt, ad vnius bombardæ displosionem, septem ex hostium equitatu fusis militibus, mox omnes timor, trepidatioque inuaserit, neq; iam pugnæ, sed fugæ intenderint. Confusam, & ferme exanimatam multitudinem (erant enim quatuor millia) tercenti ex nostris insequuntur, nec prius incepto desistunt, quam fugientium arma, & spolia diripiant. Interea recrudescit in Gallæcis præliandi ardor, & triginta capacissimis cymbis ad Minij fluuij transitum comparatis, oritur in ipso transitu laboriosa vtrinque concertatio. Nostri enim propugnatores, qui erãt in oppido Lanhelas, *cum hostem fluuio propinquãtem viderent, æneis fistulis acriter insistunt, neque patiuntur cymbas viris, & armis grauidas ad nostra littora appellere. Locus igitur ad appellendum opportunior quæritur ad pagum* Lobcos, *in quem locum hostes ardentes emicant: mox copiæ sub suis signis, ac ducibus diuiduntur, & militum pars vastandis agris, pars domibus incendendis, pars explorandis insidijs mittitur. In confertam hostiũ turmam irruit Paulus Pereira de Andrade,*

cui

cui non minus generis, quam roboris decus, & solo gladio, clypeoque obarmatus, septem ex Gallæcis primo congressu sternit. Fuit quidē facinus memorabile, at corpore ferreis glandibus perforato, vulneribusque transfixo, suam inconsultam temeritatem capite luit. Ex hac hostili vastatione, atque incendio, non multū damni nostris finibus est illatum. Procedit tamen hostis ad oppidum Villa noua *militari subsidio vacuum. Occurrit obuius Gaspar Mēdes de Carualho militiæ præfectus, & in sūma rerum desperatione (deerant enim copiæ auxiliares, & sexdecim tantum militibus erat stipatus) vultus intrepidos ad hostem circumtulit, animoque, & vestigio inconcussus, inimicorum impetus propulsauit, donec lassitudine victus, & vulneribus confossus, inter hostium aceruos exanimis cadit. Mox intra oppidū* Villa noua *quadraginta milites subsidiarij ad defensionem recepti, tot hostium millibus tam fortiter resistunt, vt ipsos etiam hostes admiratione defixos in se conuerterint. Hosti cruentum, nobis incruentum certamen, & ne vnus quidem miles fuit desideratus. Ex hostibus vero tercenti, alij ferro absumpti,*

alij

alij dum præcipites ad cymbas se recipiunt, aquis immersi pereunt.

Hæc, & alia facinora memoratu digna vidit regio Interamnensis. Verum cum in Lusitanis militibus oriatur, imo ingenita sit officiosa concertatio, vel potius generosa æmulatio, dum alius alium fortitudine anteire, & rerum gestarum magnitudine conatur superare: mirum est qua æmulatione accendatur vigor militaris inter milites Transtaganos, Interãnenses, Beirenses, & Transmõtanos, dum alius alij palmam præripere, & primas ferre studet. Cuius rei argumentum est, quod in regione Transtagana à nostris militibus factum accepimus in expugnatione oppidi Valuerde. *Erat hoc oppidum in Lusitaniæ confinio hortis irriguis, & vallibus amænissimis vndequaque cinctum, ea pollens glebæ vbertate, tantisque riuulis interfectum, vt nunquam ibi ob terram ingenito humore egentem aliqua siccitate laboratum sit. Neque immerito tum ob natiuam arborum amænitatem, tum ob herbescentem terræ viriditatem* Vallis viridis *obtinuit nomenclaturam. Erat Lusitanis damnosa huius oppidi vicinitas*

nitas, ex illo enim fiebant in confines agros frequentes hostium excursiones. Ad obsiden- dum, & expugnandum oppidum nostræ acies disponuntur: cumque ad loci defensionem non deeßet militare præsidium, neque bellicæ mu- nitiones, per quatuor solidos dies ab obsessis viriliter decertatum est. Vtrinque paribus odijs, sed imparibus viribus dimicatur. Hostis paulatim deficit: & cum nihil á vicinis vrbi- bus daretur subsidij, multique nunc cæsi cade- rent, nunc vulnerati deficerent, acie iam exte- nuata, sub æquis pactionibus rediguntur in deditionem. Ex hostibus quinquaginta, ex no- stris quatuordecim desiderati sunt. Quidquid syluarum, hortorũ, vinearum, oliuetorum in circuitu erat, incẽdio absumptum est, ipsumq; oppidum solo æquatum: sed multũ olei, mellis, frumenti militibus in prædam cessit. Huius expugnationis, & direptionis rumor non solũ minores pagos, sed etiam oppida, & ciuitates metu perculit.

De militibus Transmõtanis multa, & præ- clara dici possent, quos brumæ rigor, montium asperitas, regionis inclementia, niuosus cœlĩ tractus, non solum duros, & callosos, sed labo-

-is patientes, & tractando ferro natos reddit. Videbis enim in vultu truculentiam, in oculis vim, in membris vigorem, in pedibus celeritatem, in oris habitu, & lineamentis expreſſam Martis effigiem. Horum pertinax certamen haud exiguum laborum, & periculorum emolumentum vidit: ferro enim domuit quidquid erat in Brigantiæ confinio. Octo, & triginta pagos, & oppida expugnauit: tantaque fuit ſpoliorum, ac prædæ æſtimatio, vt ſeptingenta aureorum millia exceſſerit. Hanc oppidorum vaſtationem, & ſuarum rerum iacturam dolent, & impune dolebunt Comites de Lemos, & Benauente, qui noſtrorum militum virtutis ſpectatores, & teſtes fuerunt. Verum his, & alijs Tranſmontanæ gentis facinoribus ſuperſedeo. Sit ſatis pro victricibus Luſitanorum armis hæc modo prælibaſſe, ex quibus noſtræ Luſitaniæ non mediocris felicitatum acceſſio facta eſt. Sic placitum ſapientiſſimo orbis moderatori, cuius æternitatem nulla temporis circumſcriptio vnquam poterit permetiri: cuius potentiam nulla hominum peruerſitas poterit infirmare: cuius prouidentiam nulla ſapientum calliditas poterit eludere:

cuius

cuius voluntatem nihil cælo, terra, marique poterit effugere. Læti, atque ouantes Lusitani illud vulgatissimum oraculum occinamus: Si Deus pro nobis quis contra nos? *Hunc medullitus amemus: huius obsequio, atq; seruitio ardẽtioribus in dies studijs accingamur. Atque vtinam illius semper amoris vinculis ita simus adstricti, vt de eo optime meriti, eximium gratiæ, & amoris locum apud ipsum obtineamus. Nullam in sectandis cupiditatibus luxuriem, in vindicandis injurijs crudelitatem, in pecunijs retinendis auaritiam, in quærendis honoribus ambitionem, in deponẽdis inimicitijs contumaciam amplectamur. Soli Deo omni tempore, horaque vacemus, siue illa sit antelucana, siue meridiana, siue etiã vespertina. In quam mentem nos vehementer moueat, atque impellat acceptorum beneficiorum recordatio. Deus enim Lusitanorum fortunas in extremo sitas, præter omnium spẽ, atque opinionem ita in pristinum reuocauit, vt ærumnis deformatum regnum non modo conualuerit, sed supra omnia mundi regna caput extulerit. Facilius veró erit stellas dinumerare, aut mundi magnitudinem metiri, quam*

Dei beneficia Lusitanis per hosce annos collata minutatim recensere. Nos non quidem omnia, sed aliqua tantum dinumerauimus: siquidem hanc inoffensam in gerendis bellis felicitatem diuinæ voluntatis imperio procedere arbitramur.

LAVS DEO,
Deiparæque Virgini.

